





MARTINI
CROMERI SERMO-
NES TRES SYNODICI: CVM
ADIVNCTIS ALIQYOT ALIIS,
& Carmine iuuenili de resurre-
ctione Christi,

& libri Joannis Foxi



COLONIAE
Apud Maternum Cholinum.

Anno 1566.
Cum gratia & privilegio Cesarea
Majestatis.

1113638

MF



*Index sermonum Martini
Cromeri.*

- I. De tuenda dignitate sacerdotij Petri couiq; in Synodo prouinciali. 1542.
- II. Sermo secundus in diocesana Synodo Cracoviensi habitus. 1549.
- III. Eiusdem tertius sermo Synodicus.
- IV. De resurrectione domini sermones duo.
- V. Dominica Rogationum sermo de oratione dominica.
- VI. Martini Cromeri de splendidissimo Christi Iesu triumpho carmen iuvenile.

ILLVSTRISI-
MO ET REVEREN-
DISSIMO IN CHRISTO PA-
TRI, ET DOMINO, DOMINO IOAN-
ni Francisco Commendono, sacræ R. Ec-
clesiæ Presbytero Cardinali, & ad re-
gnum Poloniæ Legato Apo-
stolico, Thomas de Pla-
sa P. M. perpetuam
exoptat felici-
tatem.



VANDO QVIDEM AM-
plit. tua, Commendone
Cardinalis ornatissi-
me, ita Reverendum do-
minum Cromerum com-
plectitur, ut me quoque alumnum &
clientem eius notitia & fauore suo non
dedignetur, non possum facere, quin
ad sim & ego in turba, amplissimum
istum honorem tibi gratulantium. Ad-
sum autem non sine munere, et quidem
A ij A.T.

E P I S T O L A

A. T. sicuti spero, non inconuenienti,
nec ingrato: nempe pijs aliquot & erit
ditis eius ipsius, quem honoris causa no-
mino, D. Cromeri sermonibus, quos i-
iuenis ante viginti plus minus annos
partim ipse in synodis publicè habuit,
partim conscripsit. Ego vero vel manus
mea descriptos, vel prius etiam in lib-
cem editos in chartophilacio reuoluens
do nuper forte fortuna reperi atq; col-
legi. Quicùm luce lectioneque piorum
maximè nostri, hoc est ecclesiastici or-
dinis hominum non indigni esse vide-
rentur, opere preium & multis gra-
tum me facturum esse existimau, si
non paterer eos diutius in situ ac tene-
bris delitescere, præsertim cùm Mater
nus Cholinus typographus Coloniensis
cùm pius tum diligens à me petierit, si
quid aut eius, aut præstantissimorum
virorum, & quos lumina Poloniæ res-
Elie

DEDICATORIA.

Etè quis appellarit, Illustrissimi inquam
Domini Stanislai Hosij Cardinalis
Varmiensis, & Stanislai Orichorij
Russi Equitis lucubrationū nactus es-
sem, id sibi vt mitterem, typis à se ex-
cudendum, & cum occidentalibus lite-
rarum pietatisque studiosis homini-
bus communicandum. Hoc igitur opus-
culum Amplitu tuæ noui istius honoris
initio quasi in encenij dedico, ac sub
tuo nomine & patrocinio edo, vt sit do-
cumentum vulgo non modo meæ sum-
mæ in te obseruantie, verum etiam mu-
tuæ vestræ cum D. Cromero beneuolen-
tiæ. Tu Commendone præstantissime
ignosces audaciæ meæ: & qua fide, stu-
dio, solertia, & authoritate inclinatis,
ne dicam procumbentibus in Polonia
nostra religionis ecclesiæq; rebus, Le-
gatus Pontificius non sine magna lau-
de & approbatione omnium præsto es,

A ij eadem

EPIST. DEDICAT.
eadem iuueniles hosce Cromeri tui ser-
mones vna cum adiuncto triumphali
carmine tueare. Vale. Cracouia,
die XII. Aprilis, Anno
Domini 1565.



MARTI

MARTINI CROME- RI SERMO DE TVENDA

DIGNITATE SACERDOTII PE-
tricouie in Synodo Prouin-
ciali habitus.

1542.



LARISSIMVS hic
dies illuxit, Patres
amplissimi, & bo-
nis omnib9 pijsq;
exoptatus, quo ex
diuersis & longinquis oris, prin-
cipes religionis, & flos ex omni
cœtu sacerdotum in hūc locum
conuenistis, de sacri ordinis ve-
stri dignitate tuenda, & incolu-
mitate stabilienda, dequé pietate,
quæ iacet proh dolor afflita
& profligata, in animis hominū
excitanda. Quibus de rebus cùm
sermonē apud yos initio de mo-

A iiiij re ha-

DE TVENDA DIGNIT.

re haberi velitis, vereor magnopere, ut iustum impudentiae reprehensionem euitare queam, quod sacris nondum iniciatus apud sacerdotes, iuuenis apud viros grauissimos, imperitus apud eos, qui & doctrina, & usu rerum maximarum praestant, de rebus maximis verba facere productus sum: Sed non potui recte auctoritatem eius, qui huic sacro conuentui praestet, Principiis mei beneficentissimi defugere. Ad hanc autem studium pietatis, quo ab ineunte pueritia semper flagravi, me ad eam prouinciam, quauis grauem, suscipiendam in uitu penè impulit. Tametsi in bello quoq; non Imperatores, non legatos, nō centuriones, non veteranos milites, ac ne tyrones simile.

quidem,

quidem, sed imbelles & ignauos
 tubicines classicum canere, ac tu-
 barum, tibiarum, tympanorum-
 que sono instructas acies ad præ-
 lium excitare, aut vero inermes
 lixas & calones clamore id facere
 solere animaduertimus. Quo fit,
 vt mihi in re haud multo dissi-
 mili veniā duntaxat à vobis Pa-
 tres amplissimi datum iri confi-
 dam. Dicam autem quām pote-
 ro paucissimis, primum de digni-
 tate sacerdotij : Sacerdotum au-
 tem nomine vniuersum ordi-
 nem sacrū, summos pariter cum
 imis complectar: Deinde quibus
 rebus eam dignitatem quemque
 tueri oporteat. Quod dum per-
 ago, quæso vt me dicentem Pa-
 tres amplissimi benignè audia-
 tis. Fuerūt igitur & apud priscos

A v morta-

*sacerdotum
dignitas a-*

DE TVENDA DIGNIT.

Apud idololatrias.

mortales, falsorum deorum cultores, summo in honore sacerdotes, deorum interpretes, sacrorum & ceremoniarum magistri: summaque penes eos potestas erat, quippe qui ijdem reges essent.
Vnde est illud poeticum,
Rex Anius, rex idem hominum
Phœbiique sacerdos.

Nec licebat regem esse, vt est apud Platonem, qui sacerdos non esset. Hodieque adeo apud eas gentes, quem Mahometi impiatem sectantur, & si non reges, certe arbitri regiorum iudiciorum atque consiliorum esse dicuntur sacerdotes. Sed non de his institutus est nobis sermo. Summa fuit *Apud Hebreos* & apud Hebreos veri Dei cultores sacerdotij dignitas. Sed nihil ad rhombum, vt est in veteri proverbio.

Sacerdotes reges.
Vergil.

S A C E R D O T I U M

uerbio. Apud illos enim umbra
fuit & tenuis quædam quasi car-
bone deliniata imago sacerdo-
tij, apud nos verum est sacerdo-
tium: Cuius authorem atq; prin-
cipem habemus Christum Ie.
sum, Deum atque hominem,
qui sacerdos est in æternum se-
cundum ordinē Melchisedech,
spiritu sancto à Deo patre vn-
ctus: Qui inter innumerabilia
atque immensa amoris erga nos
sui monumenta , nullum ma-
ius, nullum præstantius , nul-
lum admirabilius nobis reliquit
sacerdotio. Etsi enim semel ipse Heb. 9.
omnino introiuit in sancta san-
ctorum , æterna nobis redem-
ptione inuenta , tamen quia
quotidie omnes labimur , De-
umque offendimus , hos nobis,
sacer-

DE TVENDA DIGNIT.

Sacerdotum
officium.

sacerdotes inquam, pro se præ-
fentes medicos, opiferos, depre-
catores, pacificatores, vitæ mode-
ratores, & quasi terrena quædam
numina semper adesse voluit, tra-
dita ipsis potestate ligandi atque
soluendi omnia in terris & in cœ-
lis: ut paratum semper in malis,
quæ plurima vitam nostram in-
festant, auxiliū haberemus. Nem-
pe ut iij, & Deum nobis placa-
rent, & nos Deo adiungerent, il-
lud orando & sacris operando,
hoc docendo & mysterijs initi-
ando. Itaque ergo insignibus ti-
tulis eos ornauit, & amplissimis
luculentissimisque muneribus
locupletauit. Nam & pastores
eos communi cum regibus no-
mine (pastores enim populorū
eclim reges dicebantur) & sal ter-
ra, &

Pastores.

Ioc. 21.

Matth. 5.

S A C E R D O T I U M

ræ, & amicos fratresque suos, &^{Ioan. 15. 20.} lucem mudi, sua omnia cum eis communicans, nuncupauit: & verò super familiam, atq; super ^{Matth. 24.} omnia bona sua constituit, clavesque regni cœlestis, & clarita-^{Matth. 16.} tem eam, quam ipse à patre acce-^{Ioan. 17.} pit, dedit eis: Spiritus quin etiam sanctus in diuinis scripturis A-
postolorum, Angelorum, mini-^{Mal. 1.} strorum verbi Dei, Christorū, ac deorū deniq; nomine eos dignatus est: dispensatoresque myste-
riorum Dei, conciliatores ac pa-
cificatores Dei & hominum, &
principes super omnem terram
constituit. Cogitate mihi quæso ^{sacerdotum}
patres, etiam atque etiam, quan-^{summa de-}
ta sit vestra ista dignitas, & super.
bos Ducum, Imperatorum, Re-
gum, Cæsarum, semper augusto
rum,

DE TVENDA DIGNIT.

rum, felicium, piorum, victorū, triumphatorum, domitorum or-
bis, patrū patriæ, & nescio quos
nō titulos cum vestrīs compara-
te: omnes honores mundanos,
oīa munera, & magistratus in v-
nam lancem cōgerite, ex aduerso
autem sacerdotiū ponite, iustaq;
& exacta trutina expēdite. videbi-
tis proculdubio infinitis partib⁹
vestrę functionis p̄stantiam prx-
ponderare, leuiaq; ac ludicra esse
omnia, que summo studio ab ho-
minibus in hac vita expetuntur,
præ sacerdotij dignitate. Eterim
Chrysost. sacerdotiū in terra quidem per-
agitur, sed in rerum cœlestium
classem ordinemq; referendum
est, vt inquit Chrysost. Et nescio
num angelorum etiam & omni-
um cœlestium beatarumq; men-
tium

S A C E R D O T I I.

tiū excellentiam sacerdotij dignitas superet. Quem enim purissimæ illæ mentes tremebundæ adorat Deum atq; hominem Christum Iesum, hunc quiuis sacerdos, quoties vult de cœlo de-
uocat, mortalibus manibus familiariter attrectat, & in viscera sua aliorumq; transmittit. Spiritum quoq; sanctum pari, imo vero ea dem cū patre filioq; potestate ac diuinitate, in quē ijdem illi angelī ardent prospicere, sola manus impositione quibus vult largitur. O immensam Dei bonitatem, ô excellentem sacerdotij præstantiam, ô admirabilem sacerdotum potestatē. Quem cœli & terra comprehendere nequeunt: cui luna, sol & stellæ omnes seruiunt: cui omne genu flecti-
tur,

*Fas mihi ita
sit loqui.*

DE TVENDA DIGNIT.

tur, cœlestium, terrenorum pæ-
riter & inferorum, hunc homo,
vilos, & euanidus puluisculus,
mendicus regem, seruus domi-
num, opus opificē pauculis ver-
bis adagium quodammodo arbit-
ratu suo tractat, circumfert, di-
stribuit, & salute vitaque æterna
quos vult impertitur: quando
eum dat, sine quo salutem, vi-
tamque habere nemo potest.
Quid hoc amplius? quid præsta-
bilius? quid diuinius humano ge-
neri à Deo optimo maximo dari
potuit? Dij quidam profecto car-
ne & ossibus vestiti videri debet
sacerdotes. Et fuit sane apud ma-
iores nostrosea persuasio, vt qua-
domo sacerdos receptus esset,
quasi Deo ingresso, omnia in ea
domum bona, omnesque felici-
tates

Sacerdotum
reuerentia
olim.

S A C E R D O T I I.

tates accumulatum iri crederentur. Itinera atque negotia omnia prosperè euentura existimabantur, quibus sacerdos interuenisset. In foro, in compitis, in angiportis, in vijs viso sacerdoti passim apud Christianos populos occurrebatur, acclamabatur, ad genua etiam pedesque procumbebatur. Vnde mos inoleuisse creditur, ferendæ crucis Episcopis: ut ne sibi, sed Christo cum honorem haberi putarent: utq; meminissent, cuius essent vicarij. Summa quidem certè erat ubique reverentia sacerdoti non modo apud vulgus hominum, sed & apud principes, & summos monarchas: non modo priuatim, sed & publicè: nec apud suos modo, sed & apud hostes. An

*Crucem cur
ferant Epis
scopi.*

DE TVENDA DIGNIT.

Constantini
erga sacerdo
tes reverentia. nim nō legimus Constantiū
Magnum Imperatorem sacerdo
tum iudicia à se reieciſſe, quòd
eos à solo Deo iudicari, aut inter
ſe duntaxat controuersias ſuas
diſceptare oportere diceret? Lon
gè aliter quām nunc fit non nuſ
quam: vbi profani homines ſa
cerdotum proſcribendorum, ne
dum iudicandorum potestatem
indigniſſimè ſibi arrogāt, aut ve
rius à ſacerdotibus iplis (liceat e
nim verum dicere) cupidis & am
bitioſis confeſſam, ne dicam ob
trufam, nō recuſant. Vbi cernere
eft præclarum ſcilicet ſpectacu
lum. Citatur à truculento appa
ritore reus ſacerdos: Comparet:
ad stat corā ſeuero & odio ſacer
dotum inflammato iudice, quaſi
agnus coram tondente, & ſicuti
Christus

S A C E R D O T I I.

Christus meus coram Herode,
aut Pilato: Prodit in mediū trux
quispiam ac deformata cicatrici-
bus facie accusator: accusat re-
um acriter, & contumeliose ap-
pellat: Proferuntur qualia qua-
lia testimonia. Stat interim reus
demiſſo capite: Si quid respon-
dere ipſe pro ſe, (Nam & hoc ca-
uetur, ne quis eum defendat) ſi
quid ergo respondere pro ſe in-
cipiet, appositi ſunt, qui eum ſtre-
pitu & clamore excipient atque
perturbent, in totum ordinem
ſacerdotum indignè debacchan-
tes. Aestuat ille, & in omnes par-
tes ſe ſe versans, tantum non fu-
nesta illa verba iudicis expeſtat: I
lictor, colliga manus, caput ob-
nubito, arbori infelici ſuspendi-
to. Sed tamen mitiori fine iudi-

DE TVENDA DIGNIT.

cium terminatur , sola scilicet proscriptione. Et cum his factis atq; legib⁹ videri volumus Christiani. Sed alio, quām instituera-
mus , impetu quodā nostra pro-
uecta est oratio. Ad rem igitur re-
deo. Maximum sanè honorem
pientissimus ille Imperator, Cō-
stantinus inquam , habuit sacer-

Theodosii pie
tas.
dotibus. Quid Theodosius cūm
propter admissum temere faci-
nus templi ingressu ab Ambro-
sio Mediolanensi Archiepisco-
po prohiberetur, ac deinde impe-
trata venia admissus , ab Archi-
diacono eiusdem Ecclesiæ ab sa-
crautiore parte templi depellere-
tur, nonne mansuetissimo & æ-
cuissimo animo paruit? An non
legimus furentium & castæ reli-
gioni infestorum regum feroci-
tatem

S A C E R D O T I I.

tatem à Basilio Cappadocum E- Basilius.

piscopo emollitam? De quo præ-

clarè & illud Gregorius Nazian-

zenus: Vnam sibi salutem popu-

los duxisse, sub ipso & cum ipso

esse: vnum periculum, ipsi aduer-

sari: & à Deo se alienos existima-

uisse, si ab illo dissentirent. Quid

Leo Romanus pontifex? Nonne

Attilam Hunnorum regem bar-

barum infestissimo animo ad op-

primendam & euertendam Ita-

liam cum exercitu contenden-

tem, aspectu & oratione sola re-

prescit & auertit? Fuit, fuit sum-

ma quondam sacerdotum digni-

tas: quæ nostro sæculo proh do-

lor in contrarium plane recidit.

Quamobrem? Quia rectè illi di-

gnitatem suam tuebantur: Nos

non modo non tuemur, sed for-

Leo Attilam
à vastatione
Italiæ repressa

fit.

Sacerdotes
olim cur in
honore habie-

ti.

DE TVENDA DIGNIT.

tassis ipsi etiā deprimimus. Quibus ergo rebus tueri eam nos oportet? Dicam Patres amplissimi: quæ tuit altera pars instituti sermonis nostri. Nec nimium vos remorabor: vos quod fecistis adhuc, æquis auribus atque ammis quæso attendite.

sacerdotum.
dignitas quo
modo suēda. Quid igitur est, quo hanc ipsam dignitatē tueri debemus? Num stipatorum & satellitum præuntium & subsequentium longa agmina? equitumque turmæ auro & argento aspicientium oculos perstringentes? Num tibæ, tibiæ, atque tympana? num laxæ, molles, & preciosæ vester? num regales, seu potius pontificales mensarum apparatus apud priscas gentes celebrati? Num generis claritas, & nouæ istæ de non

S A C E R D O T I U M

non recipiendis plebæis ad pri-
marias ecclesiæ constitutiones, &
virtuti viam præcludentes, &
cum verbo Dei, nisi fallor, pu-
gnantes? num intolerabilis iste
fastus, qui in templo Dei, ad aras,
& ad ipsum usque sacrosanctum
humilis & mitissimi C H R I-
S T I I E S V sacrificium nuper
proh pudor irrepit? Num pro-
fusa largitio? num gratia prin-
cipum? num spes beneficij? An
verò pecuniarum & cupidè ac
iniuste quæsiti, & sordidè mise-
reque conclusi cumuli? An ve-
rò terror, carcer, vincula, ver-
bera, rogus, ac omnis suppli-
cij metus hominibus proposi-
tus? Nihil horum sanè. Alio-
qui multo amplior esset no-
stræ temporis sacerdotum digni-

B iiij tas,

Constitutio-
nes de nō reci-
piendis plebæis ad ecclæ-
siæ primæ perni-
cioſa.

DE TVENDA DIGNIT.

tas, quām priscorū illorum fuit.
Longē enim hæc in nobis exuberant, quæ in illis exigua, aut verius nulla extiterunt. Quæ cùm partim inuidiosa, partim odiosa sint, nescio an magis etiam dignitatem eorum, qui his abundant, labefactent. Veram quidem certè ac stabilem benevolentiam, quæ optima est conciliatrix & custos dignitatis, nō parant. Sed fuit in priscis illis sacerdotibus morum sanctimonia, puritas virtutæ, mirum pietatis studium, ardens in Deum amor, incredibilis charitas proximi, & recto iudicio librata in omnes beneficia. Non indocti ac dissoluti iuuenes, atq; pueri, aut pueris non minus inepti senes à profanis negotijs, vilibusque ac etiam turpibus

*sacerdotum
priscorum
vita qualis.*

bus interdum obsequijs princí-
pum ad sacerdotium aspirabant:
Non precibus, precio, vi atque
potentia irrumpabant: Non ma-
lis artibus sese ingerebant: Non
propinquorum ac necessariorū
ope atq; peruerso studio intru-
debantur: non denique magister
quisquam prius siebat, quām fu-
isset discipulus: Nec ad regimen
admovebatur, qui subesse prius
ipse non didicisset: At viri gra-
ues & maturi, qui doctrinam pa-
riter, atq; innocentiam suam om-
nibus ab incunte ætate proba-
uissent, à collegio sacerdotum,
approbante populo ritè & reli-
giose in eum ordinem coopta-
bantur, atque è latebris, & ex mo-
nasterijs ac cœnobijs, quæ tum
scholæ erant pietatis & religio-

Monasteria
olim pietatis
& religionis
schole.

B v nis,

DE TVENDA DIGNIT.

nis, inuiti ad sacerdotium protra-
sacerdotium hebantur. Cernebant illi nimi-
^{grauissimum}rum, quām graue onus esset sa-
cerdotium. Neque ad ocium, aut
ad commodum vllum suum, fa-
stumq; id ambiebant: sed obtru-
sum, propter Deum, volentem
atq; iubentem, vt qui ipsum dili-
geret, pasceret oves ipsius, metu-
que pœnæ talenti absconsi, non
obstinatè recusabant. Cuius rei
præclara habemus exēpla in Ba-
silio & Chrysost. Itaq; & popu-
lus, quemadmodum par erat, de
talib⁹ existimabat: eos qui sic per
ostium ad sacerdotium ingressi
essent, non fures aut latrones,
mercenarios, sed pastores fu-
turos: neque suis cupiditatibus
seruituros, sed ad gloriam Dei &
populi salutem consilia & actio-
nes

S A C E R D O T I I.

nes omnes suas relaturos. Et respondebant sanè illis talibus initijs, hominumque expectationi consequentia. Nam tota vita publicè quidem in sacris peragendis, docendo & exhortando populo, moribus corrigendis & propaganda quoquo versus religione, priuatim verò in precatione & meditatione rerum diuinorum, & assidua sacræ scripturæ lectione ipsis consumebatur, ita ut precatio lectio, lectio precatio vicissim succederet. Neque verò quisquam aditu prohibebatur, quicunq; vel consilij, vel auxilij quid reb⁹ suis expetitum venisset. Somnus, cibus, potusque modicè, & non ad voluptatem aut facietatē, sed ad necessitatem tantum sumebatur.

Ludos,



DE TVENDA DIGNIT.

Ludos, lusus, atque ocium omnino perinde atq; pestem fugiebant. A mulierum contubernio & consuetudine, ac familiari secretoq; colloquio, etiam earum, in quas propter arctam propinquitatem nihil suspicionis caderet, procul se summouebant: tantum aberat, ut quippiam rei ea-

Aule principum. rum arbitrio gereret. Aulas profanorum principum, tanquam corruptelam morum, & infames Sirenū scopulos Circeas ue domos vitabant, ne quibus illecebris, quarum ibi regnum est, irretiti, aut venenis quibusdam ac præstigijs in beluas mutati hærerent, néue quid indecorum, quo dignitatem suam minueret, facere, loquiue cogerentur: Nec in conspectum principum veniebant,

S A C E R D O T I L.

bant, nisi vt eos à prauis, iniustis
atque perniciosis consilijs & co-
natibus dehortarētur, ad rectos,
iustos, & salutares adhortaren-
tur: aut afflictis viduis & pupillis
vt adessent: aut rei cuiuspiā sup-
plicium vt deprecarentur. Inde
crescente paulatim pietate, om-
nibus de Repub. consilijs, iudi-
cijsque principum adhiberi cœ-
pti primmores sacerdotes, non
tam vt consiliarij ac iudices, vt
mea fert opinio, quām vt horum
arbitri: qui attenderent, ne quid
forte per imperitiam aut impru-
dentiam Christianæ professioni
repugnans decerneretur. Neque Episcoporum
priscorum fa-
milia qualis.
hoc illi modo curabant, vt ipsi
domi forisque innocenter san-
cteꝝ viuerent: sed ita præerant
familiæ suæ domesticæ, quæ non
assent-

DE TVENDA DIGNIT.

assentatoribus, non scurris, non
lenonibus, aut vllis voluptatum
architectis, non nepotibus & hel-
luonibus, non scortatoribus, ad-
ulteris, & expugnatoribus pudi-
citiæ, non militibus, non barba-
ris seruis & stigmatijs, verùm
pijs & religiosis hominibus &
sacerdotio destinatis, atque et-
iam sacerdotibus constabat: ita
inquam ei familiæ præerant, vt
nihil in ea esset reprehensibile, se-
cundum præscriptum diui Pau-
li: Propterea quòd in se redun-
daturum esse iudicabant, quic-
quid ea peccauisset. Neque verò
aut musicis symphonij, aut ob-
scœnis & meretricijs cantilenis,
aut impudicis sermonibus, aut
mimorum & scurrarum dicaci-
tate & petulantia, aut morio-
num

*Episcoporum
mensa.*

S A C E R D O T I I.

num ineptijs mensæ ipsis condiebantur: Sed à Deo, & precatione, & gratiarum actione communi & sonora inchoatæ, partim religioso silentio & sacræ letionis auscultatione, partim sobrijs, pijsque & eruditis colloquijs ductæ & peractæ, non absimili exordij fine claudebantur.

Paucissimis contenti, omnia egenis dilargiebantur: hos solos veros certosque thesauros suos rati: ita ut fuerit, qui cum nihil haberet reliqui, ipse redimendorum captiuorum causa seruituti se mancipauerit. Hinc fiebat, ut non inharent sacerdotum facultatibus profani homines, ita ut nostra tempestate faciunt: sed omnes omnia ipsis aggerebant, venditisque possessioni-

*Sacerdotum
priscorum li-
beralitas.*

DE TVENDA DIGNIT.

sionibus ad pedes sacerdotum pecuniam afferebant, ut ab ipsis inter pauperes pro cuiusque necessitate distribueretur. Successu deinde temporis inualescente religione, cum cædiū, proscriptiōnum, direptionum bonorum, metus sublatus esset, possessio-nes etiam & agri, regionesque totę sacerdotibus, utpote prudenti-bus & fidelibus dispensatoribus, à pijs hominibus attribui cœpe-re, vt esset perpetuo, non vnde ipsi luxu & voluptatibus diffue-rent, aut scorta & parasitos ale-rent, aut verò propinquos suos ditarent: sed vnde ministri Eccle-siae alerentur: vnde ad templo-rum instauratiōnes & ad usus e-gentium suppeditaretur: vnde captiui denique redimerentur.

Pucro-

S A C E R D O T I I.

Puerorum etiam atque iuuen-
tutis educandæ & instituendæ
curam in primis habebant, sum-
maq; diligentia & magno im-
pendio prouidebant, vt in scho-
lis vbiq; & in ludis literarijs pu-
blice docti, probi, ac diligentes
magistri & formatores iuuentu-
tis essent, qui literis pariter & bo-
nis moribus, rectisque de fide &
religione opinionibus teneram
illam ætatem, tanquam rudem
lanam, tingerent. Non parum e-
nim, sed plurimum sanc interef-
se iudicabant, quibus præceptis
rudis illa ætas, & ad omnia flexi-
lis imbueretur: propterea quòd
per omnem vitam ea tenacissi-
mè inhærent hominibus, & in
naturam quodammodo abeunt,
quibus à puerō quisq; assueuit.

C Itaque

DE TVENDA DIGNITATI

Itaque rectè illi dignam se eam
curam esse existimabant. Deni-
que omnia quasi dij quidam sa-
lutares ad salutem hominum re-
ferebant, laudis humanae negli-
gentes, & commodorum suo-
rum prorsus obliti. Ex quo con-
temptu pecuniæ, voluptatum,
honorum, laudisque, singularis
quædam fiducia & libertas ora-
Episcoporum in delinquen-
tes officium.tionis in ipsis existebat. Peccan-
tes principes & monarchas, ne-
dum priuatos, liberè & apertè ar-
guebant, obiurgabant, increpa-
bant, dira denique execratione
percellebant, opportunè & im-
portunè, tempestiuè & intempe-
stiue. Nec offendere eorum volun-
tates dubitabant, quibus nullo
beneficio obstricti essent, à quib'
nihil sperarent, nihil metuerent.

Quid

S A C E R D O T I I.

Quid autem formidaret is, qui
omnia vilia atq; nihili præ Chri-
sto duceret? mortemque in lu-
cro deputaret? Hinc non admi-
rationi modo, verum etiam ter-
rori erant tyrannis & carnifici-
bus suis: quos pudebat, illorum
constantia & tolerantia crudeli-
tatem suam vinci. At ne tum qui
dem deerant sacerdotes, qui hoc
indigni essent nomine & hono-
re, qui que dedecori essent toti
ordini. Fateor. Sed minus multi
atque nunc. Neque iij probra
sua gloriabundi iactabant. Ne-
que palam prostituto pudore de-
linquebant, & non tam peruica-
citer & maliciose in præcogitata
ac diu deliberata facinora se se-
præcipitabant, quam per im-
prudentiam & humana fragili-

sacerdotes
mali minus
multi olim,
quam nunc.

C ij tate

DE TVENDA DIGNIT.

tate labebantur, Deo permitten-
te, vt condolere nosset ijs, qui
inscientia & errore peccabant,
cum & ipsi infirmitate essent cir-
cumdati. Et tamen non deerat
medicina. Agebantur crebri &
frequentes conuentus, siue sy-
nodi: vbi perquisita diligenter vi-
tia sacerdotum, iusta animaduer-
sione coercebatur, mores in de-
terius labentes corrigebantur:
errores in fide & haereses nascen-
tes etiamdum confutabantur, &
radicitus extirpabantur: ritus at-
que ceremoniae sacrorum insti-
tuebantur: inter litigantes ac dis-
sidentes pax & concordia com-
ponebatur. Quid igitur mirum,
si nunc tam contemptum ac pro-
pemodum abominabile vulgo
est sacerdotium, quando omnia
hæc,

*Synodorum
seilitas &
necessitas.*

*Sacerdotum
contemptus
vnde.*

hæc, quæ priscos illos venerandoſ & admirabileſ faciebant, in nobis deſiderantur? Nemo officium ſuum facit, ac ne norunt quidem plerique. Omnes cultu diuino & hominum nobis commendatorum ſalute neglecta, bonis pauperū & patrimonio Chriſti flagitioſe & indignè abutimur, & in vicarios munera noſtra reiſcimus: atq; utinam in ijs tamen delectum aliquem probitatis atque doctrinę haberemus: utinamque iij nō alios porrò profe vicarios ſubijcerent. Et quod peius eſt, eò ventum eſt, vt nos ſacerdotes eſſe, haberi, dicique pudeat. In omne ſcelerum & flagitorum genus pudore omni metuq; profligato proiecti ſumus: & peccata noſtra, quemadmodū

C iij Sodo-

DE TVENDA DIGNIT.

Mal. 2.

Osee 4.

sacerdotum
insania &
negligentia
periculosa.

Sodoma, prædicamus. Quid mirum si contemnimus, vexamur, exagitamur, diripimus, & exhibilamur passim? atque nostris quidem odio, hæreticis vero ludibrio sumus? Recessimus de via, & plurimos offendimus in lege: Irritum fecistis pactum Leui, dicit dominus exercituum per Malachiam: propter quod & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis. Mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris. Et per Ozcam, Gloriam, inquit, vestram in ignominiam commutabo. Magiscertè mirandum est, religionem Christianam nō profanari vulgo et explodi, cùm tantum absint sacerdotes, primores etiam, vt possint rudes erudire,

erudire, aut errantes in viam re-
ducere, vt vix nouerint non-
nulli quare dicantur Christiani,
quanque vim habeat & in quo
posita sit Christiana religio. Quo
circa mirandum non est, tam in-
fimo ac debili capite, ægrotare
& labare membra cetera. Quod
nisi in hac religione nati & edu-
cati essemus, & permultos an-
nos consuesceremus, quotus
quisque nostrum esset Christia-
nus? quotum autem quenque
non à Christianismo vel minæ
abducerent, vel præmia auoca-
rent, si in regno impiarum gen-
tium & à religione Christiana
alienarum, quod omen Deus a-
uertat, essemus? Consuetudine
enim sumus Christiani magis,
quā certa firmaq; ratione: & cūm

C iiiij ore

DE TVENDA DIGNIT.

Tit. 1.

ore profiteamur nos Deum nos-
se, factis, nolo enim dicere men-
te, negamus. Quamobrem? non
docemur: non adiunionemur. Sa-
cerdotes quæ sua sunt querunt,
non quæ Iesu Christi: pastores
semetipsos pascunt, non gregem
Dei: lac comedunt: lanis operi-
untur: quod crassum est, occi-
dunt: quod ægrotum nō sanant,
quod infirmum nō confirmant:
quod cōfractum non colligant:
quod abiectum non reducunt:
quod perit non querunt: sed cū
austeritate & cum potentia eis
imperant. Itaque dispersæ sunt
oues, eò quòd non sit pastor, &
factæ sunt prædæ omnibus be-
stijs agrestibus, dæmonibus in-
quam & hæreticis: quemadmo-
dum Deus per Ezechiem que-
ritur.

Philip. 2.

Ezech. 34.

ritur. Quid porro miramur non
pascere eos, qui neque oves, ne-
que pabula norunt, ac neque
quod sit pastoris officium? Quid
miramur non docere eos, qui
nunquam ipsi didicerunt? Gu-
simile.
bernaculo nauis is demum ma-
nū admouet, qui prius remum
egerit, deinde proreta fuerit, vn-
disque & tempestatibus iactatus
sit, maris deniq; & locorum pe-
ritiam habeat. Neque du&stat ex-
ercitum, nisi qui prius miles, de-
canus, centurio, tribunus fuerit.
Deniq; textrinam & lanifictum
nulla muliercula exercet, nisi di-
dicerit. Ad sacerdotium verò,
hoc est, ad amplissimum & dif-
ficillimum regimē populorum
prius vel assumimur, vel aspira-
mus, quā, sed malo tacere, quām

C v grauius

DE TVENDA DIGNIT.

grauius aliquid dicere. At Apo-
stolus paratos nos vult esse , ad
reddendā omni poscenti rationē
^{sacerdotes à nostræ fidei.} Verum enim uero,
^{profanis stu-}
^{dio & cogni-}
^{tione s. liter-}
^{arum supes-}
^{ratur.} pudet dicere, dicendū est tanien:
longè à profanis hominibus hoc
sæculo sacerdotes sacrarum lite-
rarum studio & cognitione supe-
rātur, ita ut valde metuam, ne ad
eos propriè pertineat , quod per
Efaiā Deus locutus est : Ecce ser-
ui mei comedēt, & vos esurietis:
Ecce serui mei bibēt, & vos sitie-
tis: Ecce serui mei letabuntur, &
vos confundemini: & q̄ deinceps
sequuntur apud eundē prophe-
tam. An enim nos, Patres, minus
dereliquimus dominum, & mō-
tem sanctū eius obliti sumus, for-
tunæq; mensam posuimus, & li-
bamus super eam, quā illi, quibus
illa

S A C E R D O T I U M

illa olim Deus comminatus est? me
An non libamus fortunæ, cùm
fructus & emolumenta sacerdo-
tij, non sacerdotium ipsum con-
sestamur? Et viuat, sentiat, cre-
datq; vt vult quisque, dummodo
cōmoda nostra nobis salua sint,
si non verbis, re ipsa certè palam
loquimur. Itaq; etiam sacerdotio <sup>sacerdotia
beneficia.</sup>
rū nomine antiquato, beneficia
vulgo appellamus, quasi quę nō
vt aliquo munere fungamur, sed
vt bene sit nobis, dentur. Vnde
impiæ illę et hōrendę voces na-
tæ sunt, cùm patronorum, in be-
neficij loco sacerdotia clienti-
bus data exprobratiū, tum cli-
entium, mercedis nomine ea vel
iactatiū, vel efflagitantiū. Quo ^{Prouentus.}
fit, vt omni alia cura exclusa, no-
ste die quę census, decimas, fru-
ctus,

DE TVENDA DIGNIT.

Etus, & prædia istorum ipsorum
beneficiorum, vt vocamus, pri-
uatim atq; publicè vel in abaco,
vel in digitis computemus: Diui-
nas verò scripturas procul à cu-
biculis, mensis, cōtubernijs, col-
legijs, conuentibus, & omni vite
nostræ consuetudine relegauim-
us. Nec sacra Prophetarum, A-
postolorum & Christi ipsius ser-
uatoris nostri verba vnquam fe-
re in sermonibus nostris usurpa-
mus, præter, quod non sine ma-
gno animi dolore dico, ioci gra-
tia, cùm maximè videri volumus
argutuli atque ridiculi. Quod
quid est aliud, per Deum, si non
in contemptum adducere & vr-
banè quasi aliud agendo religio-
nem Christianam oblitterare? At
enim sunt etiam, qui docēt. Vel-
lem

S A C E R D O T I L

lem equidem cum D. Paulo, vt^{1. Cor. 14.} omnes docerent, siue propheta-rent: Nam hoc ille verbo vtitur.

Sed & pauci sunt ij, & quod illi docendo exædificant, hoc ceteri, qui se ad perdendas fruges natos esse opinantur, aut illi ipsi etiam doctores, impura vita sua demo-liuntur. Plus mali certè, quam boni discit nunc profana & im-perita multitudo à sacerdotibus: dum ad eorum vitā mores suos accommodat, dum eos non sanctissime loquentes pariter & a-gentes, & vel à fide Christi pror-sus alienos, vel portentosa super stitione, à syderum dæmonum que cultoribus accepta puritatē cius contaminantes, studiose imi-tatur & sacerdotum exemplis si-bi blanditur. Hoc ne, inquit, Epi-

Vnus adifi-
cans & vnuſ
deſtruens,
quid prodeſt
ſiliſ niſi la-
bor? Eccl. 34.

Dum vox via-
tam non rea-
mordet, dul-
cis eſt ſime-
phonia.

scopus

DE TVENDA DIGNIT.

scopus vel sacerdos ageret, nisi
sciret malum non esse? Hoc ne
ageret, nisi certo nosset, inanes fa
bulas esse inferorum supplicia,
ac cœlestia præmia? aut vero ni
hil referre ad hæc adipiscenda, &
illa euitanda, quomodo quisque

*Ad persuas
dendum plus
vale vita
quam oras
tio.*
Mattb. 23. viuat? Nec mihi quisquam dicat,
non quid faciant, sed quid doceat
sacerdotes, attendendum esse.

Ita quidem magister noster Chri
stus præcipit. Sed errat, quisquis
nescit, in ijs, quæ ad vitam & mo
res instituendos pertinent, ma
iorem longè ad persuadendum
vim habere vitâ docentis, quam
orationem. Non enim ut medi
cus non minus sanat ægrotos æ
grotus ipse, quam sanus, ita & mo
rum vitæque formator: hoc est,
animorum medicus. Sed valere
hunc

hunc oportet & admirationi esse
 ob excellētes virtutes, si vtiliter
 alijs medicinā velit facere. Nam
 qua fiducia ad dilectionem pro-
 ximi & ad subueniendum egen-
 tibus alios prouocabit, qui ipse
 aditu suo miseros & opem im-
 plorantes excludit. In propatulo
 autem obuios ne alloquio qui-
 dem aut aspectu duntaxat huma-
 niore dignatur? quiq; in conui-
 uia, largitiones, & alios profanos
 & minus honestos vsus non cen-
 tum, sed sexcentos atque etiam
 mille aureos nummos expendit
 facilius, quam vnū ad miseri ali-
 cuius necessitatem subleuādam,
 aut puellæ ppter egestatem pro-
 staturæ turpitudinem prohiben-
 dam? Qua aut fronte docebit, nō
 esse furandum, qui ipse furatur,
 & per

Qui adam
doceſ, teſ-
pſum nondon-
ces, &c.
Roman. 2.

DE TVENDA DIGNIT.

& per fas nefasque diuitias sibi
parat? Quo ore ambitiosus cupi-
dos, vinolentos ebriosus, adul-
ter scortatores, sumptuosos lu-
xu perditus, percussores homici-
da obiurgabit? Audiet profecto:
Matth.7. Frater, ejce trabem prius ex ocu-
lo tuo, deinde festucam ex alie-
no eximes. Non tam enim, quid
quisque dicat, quam quomodo
viuat, vulgo animaduertitur,
presertim in ijs, quorum cum in-
aperto & in ædito vita omnis ex-
posita sit, illustriora longe sunt
& peccata, & rectè facta, quam ce-
terorum, & pro lege in exemplū
multorum trahuntur. Itaque dup-
liciter iij peccant, sibiq; pariter
atque omni populo perniciem,
sicut Cæcias nubes, attrahunt.
Eniinuero cur nam tot ac tanta
simul

Ecclesiæ vas
sticas vnde?

simul mala in gregem & caulas
Christi modo ingruunt, quæ nō
eminus prospicimus, verum co-
minus experimur? nempe semen
tis aquarum inundatione corre-
pta: cuius residuum comedit e-
rugo: residuum eruginis vastauit
bruchus & locusta: hæc & ante-
cessit, & sequitur pestis horren-
da: nec longè abesse videtur ho-
stilis gladius: ut taceam intestina
odia ac dissidia, mutuasque cæ-
des, neque sacerdotibus parcen-
tes, ac templo arasque Dei viuen-
tis fraterno sanguine respergen-
tes: Cur nam inquam, hæc mala,
priscis illis Aegyptiorum plagis
non absimilia, agminatim nunc
in nos irruunt? Cur? nisi impro-
borum & officium suum non fa-
cientium sacerdotum causa? Ego

D ne

DE TVENDA DIGNIT.

Micheæz.

ne id ternere dico? An Deus ipse
per os Micheæ prophetæ hæc af-
firmat? Vestrī causa, ad sacerdo-
tes inquiens, Sion (horresco di-
cere) quasi ager arbitur, & Hie-
rusalem quasi aceruus lapidum
erit, & mons templi in excelsa
syluarum: hoc est, vastitas omnia
occupabit. Atque utinam ne hæc
omnia extremum omnium co-
mitetur malum, mentium in-
quam excæcatio & obduratio:
Cuius rei nonnulla iam existere
videtur indicia. An enim parum
signi est, furere & mente captum
esse ægrotum, ubi is non pharma-
ca modo salutaria, sed & medicū
ipsum quasi pestem quandam ab-
horret? Quis autem insanus un-
quam sic abominatus est medi-
cum, ut nunc nostri homines sa-
cerdo-

Excæcatio,
obduratio
mentium.

S A C E R D O T I L.

cerdotes abominantur? & cùm
vitia sola sacerdotū detestari de-
berent, ordinem ipsum sanctissi-
mum execrantur, & perijisse cu-
piunt, tanquam non salutis, sed
interitus sui authorem & admi-
nistrum? Cui peruersissimæ ho-
minū opinioni nos ipsi, Patres,
nos ipsi, inquā, nostris sceleribus
& flagitijs causam præbemus. Nō
facile enim hæc vulgus disiūgit,
vt vitium quidem hominis exo-
sum habeat, ipsum autem homi-
nem diligat: & vitam quidem sa-
cerdotum detestetur, ipsum aut
sacerdotij nomen functionemq;
veneretur. Quamobrem si digni-
tatem vestram tueri, si authorita-
tem retinere, si honore & admira-
tione affici, si deniq; saluos vos,
& eos, qui fidei vestre cōmēndati

D ij sunt,

sacerdotum
priscorū via
incedens.

DE TVENDA DIGNIT.

sunt, esse vultis, Patres amplissimi & sacerdotes Dei, eandem quam prisci illi sacerdotes viam insistite, & officium vestrum facite. Publici estis deprecatores & aduocati peccatorum apud Deum? Deo & hominum saluti, non ventri vestro, & ijs, que infra ventrem sunt, seruite: leuate puras manus ad Deum sine libidine, sine ira, sine odio, sine fastu, sine auaritia. Sal terre estis? Estote condimentum aliorum, & sapientia vestra aliorum stultitiam subluate: Cauete ne insulti facti, ab hominibus cöculcemini, vt nunc fieri incipit. Lux mundi estis? Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes opera vestra bona glorifcent Deum. Ne quæso ponatis tenebras lucem, & lu-

*Sacerdotes
deprecatores
& aduocati.*

I. Tim. 2.

*Salterre.
Matth. 5.*

Lux mundi.

cem

S A C E R D O T I I.

cem tenebras, vt Esaiæ verbis v-
tar. Principes estis, & vernacula
lingua nostra appellamini? Quā- ^{xiadz.}
tum honore præstatis reliquias,
tantum virtute, pietate, atque sa-
pientia præstare contendite: &
ne cæci cæcorum duces sitis, vi-
dete. Apostoli estis & angeli, hoc ^{Apostoli &}
est Legati Dei? Ita vos gerite, vt ^{Angeli.}
nō vituperetur ministerium ve-
strum: & vae vobis, si aut nihil,
aut somnia vestra quæstuosa, nō
voluntatem Dei populo nuncia
ueritis. Amici Dei estis? Redama- ^{Amici Dei}
te amantem, & vt cum eo vnum
sitis omnino studete. Nihil tam
charum habeatis, quod non præ
Deo despiciatis, qui prior dilexit
nos, & sacro vnigeniti filij sui
sanguine redemptos sibi adiun-
xit. Diligite inter vos. Hoc enim
D iiij vel

DE TVENDA DIGNIT.

Christi.

vel præcipuum est discrimen inter amicos Dei, & seruos diaboli. Christi estis? videte ne quid indignum admittatis hoc tanto nomine, néue spiritum sanctum, quo vñcti estis, impura vita vestra contristetis siue adeò propellatis. Nō enim ille habitat in cor-

Dispensatores mysteriorum Dei. pore peccatis subdito. Dispensatores estis mysteriorum Dei? Ita dispense, uti exactam rationem reddituri Deo scrutatori mentium, & non modo dissipati, sed etiam defossi talēti nomine pœnas daturi. Habetis claves regni cœlestis? Cauete ne eis abutamini, & ne vñ sit vobis, si & ipsi non ingrediamini, & alios non intromittatis. Claritatem, quam à patre accepit, dedit vobis Christus? Videte ne eam tenebris vitiorum

S A C E R D O T I I.

rum & ignorantiae obscuretis.
Pastores estis? Cognoscite oues Pastores
vestras: vocate nominatim: exem-
plo præcedite: pascite salutari-
bus sacræ scripturæ pabulis: à
noxijs verò arcete: à luporum &
vrsorum vi & insidijs defendite:
medemini languidis: scabiosas
& lue infectas caulis eijcите: er-
rantes quærите: inuentas humic-
ris vestris ad ouile reportate, pa-
rati vitam, nedum bona ista ex-
terna & fortunæ pro ouibus ve-
stris profundere, vt cùm vene-
rit princeps pastorum, percipia-
tis immarcescibilem gloriæ co-
ronam. Dij estis? neminem læ-
dite: Benefacite omnibus, qui-
bus potestis: Hoc enim Dei pro-
prium est: Sancti, puri, perfec-
tique estote: & quantum homini

D iiiij ante-

DE TVENDA DIGNIT.

antecellit Deus, tantum vos ceteros homines sanctimonia vita atque perfectione anteire satagi-

Sacerdotum & priuatorum
duerse virtutes.
te. Aliæ enim sunt priuatorum, aliæ sacerdotum virtutes. Nam

priuato homini propemodum sat est, malum non esse, aut aliquatenus certè bonum esse. In sacerdote verò, & eo, qui publicam personam gerit, peccatum est, si non multò antecat virtute multitudinem: Quem trahere ceteros à vitijs ad mediocritatem excellenti virtute oportet. Deniq;

Episcopus speculator. Episcopus es, hoc est, speculator donius Dei, & princeps sacerdotum?

Episcoporum officium. Quæ sacerdotum sunt præ alijs curato: Habes præterea sacris initiandi, & ius dicendi potestatem: vigila: præuide procul imminentia mala, & præmone eos, qui

S A C E R D O T I L.

qui intus sunt: ne si quo inopinato casu pereat, sanguis eorum de manu tua requiratur. Doce ignaros: exhortare ignauos: errantes argue: hæreses euelle. Memento in consecratione tua non codicillos rationum accepti & expensi, non siderum inter se descriptas habitudines & aspectus, non constitutiones regias aut imperatorias, verum diuinæ legis volumen capiti tuo esse impositum: ut in eo mediteris die ac nocte, neque recedat id vñquā ab ore & à corde tuo. Metue horrendas illas Dei apud Ozeam miseras: Quia tu repulisti scientiam, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Quæ muneris tui sunt, pleraque per te ipse agito. Quoniam vero non potes omnia, at-

D u t e n d e

DE TVENDA DIGNIT.

Episcoporum
vicarij quas
les diligendi. tende à quibus vices tuas obiri
velis, vt ij, siue iudicijs exercēdis
præerunt, iustè, patienter, & sine
comperendinationibus iudicēt:
nō ira, nō cupiditate, non odio,
non gratia cuiusquam, non spe,
non metu à recto dimoueantur:
quæque in alijs coercent, eorum
ne suspicionem quidem falsam
in se hærere patientur: siue do-
Doctores &
pastores. ctores & pastores futuri sunt, po-
tentēs sint verbo atque opere,
populumque non fabulis atque
somijs suis onerent, non super-
uacaneis quæstionibus dissidia
parientibus distineant: sed recta
& necessaria rectè opportuneq;
doceant, & solida fidei religio-
nisque Christianæ fundamenta
in animis imperitè multitudinis
iaciant, in hisque digna Deo ædi-
ficia

SACERDOTI.

ficia exædificant. Hæresibus etiam atque etiam obfistant, parvulosque Babylonis ad petram ^{psal. 136.} allidant. Sacramentis ne abutantur, & alijs rectum eorum vsum ostendant. Itaque manus nemini cito imposueris, neque aut necessitudine, aut precio, aut obsequio, aut gratia cuiusquam adductus sacerdotio quempiam initiato, aut instituto. Sed exemplora diligenter, quos in societatem tanti oneris assumas. Tibi, non ijs, qui patroni vocantur, pro omnibus dependendum est: Tu caput es, ceteri sacerdotes membra tua sunt, & quidem de ijs membris, quibus aliquem te honorem imperti-ri æquum est: fratres tui sunt, non serui: adiutores, non vilia manci-

DE TVENDA DIGNIT.

Eſ. 56.

mancipia. Tu pastor es, illi canes
tui sunt, custodientes ac defen-
dentes gregem. Vide ergo ut sa-
gaces, impigros, robustos, fero-
ces, valentes latrare, & qui ami-
cum ab inimico discernere no-
rint eligas: & quidein à teneris
vnguiculis recte atque ordine e-
ducatos & institutos. Eam porrò
institutionem puerorum & ado-
lescentium, ut recta sit, & pieta-
tem timoremque Dei cum lite-
ris coniunctum habeat, ad te im-

Pueri ad scho-
las heretico-
rum non mit-
tend.

primis pertinere existimato. Ca-
ue ergo summo studio, id quod
adhuc negligi video, ne pueri at-
que iuuenes ad hæreticos insti-
tuendi mittantur: vnde boni qui
dem nescio an quicquā referant,
mali certe plurimum referunt:
néue pædagogi mun⁹ obire qui-
spiam

S A C E R D O T I L.

spiam neque in publico ludo, neque in priuata domo permittatur, nisi examinatus & probatus ab ijs, quos ad eam rem delegeris.

Lectione item librorum ab hæreticis conscriptorum oēs prorsus, paucissimis exceptis, qui præstanti doctrina, & stabili sunt iudicio, summa contentione prohibeto. Nam sermo eorum serpit ut cancer, & suavitate quadā populari conditus, facile incautos occupat & inficit. Cogita nō tua vnius causa tibi tantas copias atque facultates datas, seu verius concreditas esse. In vitia sacerdotum itemq; profanorum hominum diligenter inquirito, ac in præfractos quidem acrius, in alios vero lenius animaduertito: hos baculo, quem geris, illos gladio

Lectio librorum hereticorum proibenda.

2. Tim. 2.

Vitia sacerdotum corrigeenda.

dio ferito. In ebriosos, in hellunes, in scortatores, in adulteros, in concubinarios, in iniustos, & oppressores tenuiorum, in homicidas, in quadruplatores & fœneratores, & in omnes denique flagitiosos & sceleratos, qui palam peccant, & admoniti non resipiscunt, neque ecclesiam audiunt, terribilia illa fulmina in tartarum præcipitantia, in primis vibrato, & perinde ac putrida membra à reliquo corpore eos resecato, ne pars syncera trahtatur, ut inquit Poëta quidā. Vide-

Abusus corrigenda.

to, ne quis re sua abutatur, quod quidem etiam impij homines & idololatre, reipub. plurimum interesse iudicarunt: Abutitur autem nō minus qui sordidè recondit, quam qui prodigè dissipat.

Sis

S A C E R D O T I I.

Sis denique per omnia , qualem
 D. Paulus vult esse Episcopum. ^{I.Tim.3.}
 Abbas es? pater igitur, non domi-
 nus: curator non dilapidator bo- ^{Abbatis of-}
 norum communium: curam ha-
 be eorum, quos in filiorum loco
 habere debes. Vide, vt ij omni alia
 cura vacui, soli precationi & me-
 ditationi rerum diuinarum insi-
 stant. Archidiaconus hoc est, ocul- ^{Archidiacos-}
 us es Episcopi? vide ne lippias, ^{ni.}
 néue vbi opus non est cōniueas:
 visita per te ipse, cū tua propriè
 ad munus istud delecta sit indu-
 stria: Scrutare non quid auferas,
 sed qd emendes: cerne acutū, &
 visa refer Episcopo. Canonic⁹ es? ^{canonicā.}
 Consiliarius es Episcopi. Atten-
 de ergo, vt ei consilio tuo in re-
 genda ecclesia , cui seruis, præsto
 sis, cessantem excites, vtque id
 sis,

DE TVENDA DIGNIT.

sis, quod diceris, hoc est, ut tota
vita tua recta & ad regulam Chri-
sti apta sit. Parœcus es? hoc est,
pastor in parte gregis, & vicarius
Episcopi? pasce, & pasce per te i-
pse, non per vicarios. Memento
te nō tui compendij, sed ouium
causa ad functionem istam voca-
tum esse, de qua exactam Deo ra-
tionem redditurus es: Vide ne ti-
bi dicatur, o pastor, & idolum, &
derelinquens gregem. Vis autem
paruo negocio multum operæ-
precij facere in vinea Domini,
cuius etiā vinitor es? Scholarum
& puerorum recte instituendo-
rum præcipuam curam habe. De-
nique quæ Episcopo dicta sunt,
eadem plæraq; tibi dicta esse exi-
stimo. Decanus es? Prepositus?
Scholaſticus? Cantor? Custos?
Prior?

Parœci.

Zacha. II.

Decani, &c.

S A C E R D O T I I.

Prior? siue quid aliud? Officium
tuum noscito,& facito. Priuatus
presbyter es? da operam vt pu-
rus & ablutus à sordibus consci-
entiae, ad tremenda illa sacra per-
agenda accedas, non ex confue-
tudine, aut quæstus gratia, ne
Christum vendere videare:sed vt
Deum tibi atq; multitudini pla-
caturus. Ad extremum quocun-
que diceris nomine, sacerdotem
te esse memento. Cura igitur, vt
non magis nomine, quam re sa-
cerdos sis: vtque non ex vestitu
& raso vertice, verum ex doctri-
na, moribus, ac totius vitæ con-
fuetudine omnes te sacerdotem
esse agnoscant. Refelle, re non
verbis, odiosum illud vulgi di-
cterium, ne dicaris porcus saltilis.
Memento te Christi personam
E gerere.

*sacerdotis
verinota.*

DE TVENDA DIGNIT:

gerere. Ille iustitia est, modestia,
temperantia, sobrietas, veritas, sa-
pientia, constantia, pax, charitas,
benignitas, & summa bonitas.
Hæc eadem tu pro viribus tuis
esse cura: Mitis est, & humiliis:
Disce ab eo. Humiliare sub po-
tenti manu Dei: Monachus es?
sede solitarius & tace, secundum
dictum Hieremij. Mortuus es
mundo: ne te implices mundani
negocijs: Deplora, & sine si-
mulatione quidem, peccata tua
atque populi: terrenarumque
rerum cura abiecta, in cœlesti-
um contemplatione totus esto.
In vniuersum autem omnes, qui
spiritualium nomine appellami-
ni, hoc vnum curate (ne multis
vos onerem) vt verè sitis, quod
dicimini. Rejcite curam carnis,

Monachi.

*Spiritualium
omnium of-
ficium.*

spiri-

S A C E R D O T I U M

spiritualibus rebus solis vacate.

Vacate inquam & gustate, quām ^{psal. 33.}

suavis est Dominus, omnib⁹ qui

diligunt eum, & in spiritu & ve-

ritate adorant. Cognoscetis au-

tem cūm aliunde, tum ex D. Pau-

lo ad Galatas scribente, quæ sint ^{Galat. 5.}

opera carnis, & qui fructus spiri-

tus, quiq;[;] finis vtrorumq;, vt illa

quidem vitetis, hos vero conse-

cēmini. Satis indultū est carni:

satis datum mundo, satis diabo-

lo. Redite ad cor. Deum modo,

Deiūc imaginem, hominem in-

quam, verè & ex animo diligere

incipite, iam omnia feceritis, & le-

gem Christi impleueritis. Sed ad

vos iā venio Patres amplissimi,

qui huc ad consultandum in cō-

mune ijs de rebus, q ad fidē pietā-

temq; Christianam, & sacerdotij

E ij digni-

*Ad Episcopos
apostrophe.*

DE TVENDA DIGNIT.

dignitatem tuendam pertinent,
conuenistis. Curate, elaborate,
perficite, à vobis ipsis exorsi, vt
ne quid in vlo sacerdote, quod
ad officium eius pertineat, requi-

Synodorum
modernorum
ratio.
ratur. Videte etiam atque etiam,
ne ridiculę sint vestræ istę Syno-
di, in quibus verborum satis, fa-
ctorum, pr̄eter contributiones,
nihil esse vulgo iactatur. Proui-
dete in primis, ne quæ simulta-
tes, contentiones, & factioñes in
collegijs, siue vt vos vocatis capi-
tulis vestris, & in omni cœtu sa-
cerdotum existant: & ad frater-
num amorem potius, quam ad
fratris nomē aliquid adjicite. Ce-
teros porro pr̄e vobis ne contem-
natis. Cauete ne polluti sint cœ-
tus vestri, & ne malum vestrum
in domo Dei reperiatur, vt per
Hicre-

S A C E R D O T I L.

Hieremiam Deus loquitur. Præ-^{Hier. 23.}
 cidite luxum, nequitiam, & au-
 ritiam sacerdotum. Concubina-
 rios, ebriosos, negociatores, &
 ociosos sacerdotes seuerè coerce-
 te. Ambitionem, maximam sa-
 cerdotij pestem, radicitus euelli-
 te. Quàm vellem autem ego om-
 nesque boni, ut eligendi & coo-
 ptandi in sacerdotium potestas
 libera ecclesijs atq; collegijs re-
 stitueretur. Neq; sanè recupera-
 bit quod multi graues viri senti-
 unt, pristinam dignitatem sacer-
 dotium, neque religio Christiana
 florescet, donec ad vnius ali-
 cuius hominis arbitrium hono-
 res ecclesiastici conferuntur. O
 quam laudem atque gloriam, &
 verò præmiū apud Deum mere-
 retur, qui, quas aliorum ambitio

E iij &

Elettio libe-
 ra ecclesie
 fulcimentū.

DE TVENDA DIGNIT.

& cupiditas infregit electiones
& cooptationes, studio, consilio,
& authoritate sua restitueret. Sed
hoc, dum praesens rerum status
manet, optare magis licet, quam
sperare. At vos Patres, prouidete
verbum Dei serio, per vos Iesum Christum
sincerè predi-
candum, crucifixum, & vestram salutem
oro, obsecro, & obtestor, prouide-
te inquam, ut verbum Dei pu-
rè & castè vbique in dioecesibus
vestris omni populo, neq; schis-
maticis, neque Iudeis (de quibus
non paucos ad fidem vltro acce-
dere modo videmus) exceptis &
exclusis, enuncietur. Inite ratio-
nen, quonam modo promiscua
multitudo in vrbibus, oppidis,
atq; pagis ad frequentadas, festis
diebus duntaxat, sacras concio-
nes yet blandè alliciatur, vel im-
periosè

S A C E R D O T I L.

periosè compellatur. Curate ut
conficiantur edanturq; doctoruPostille pro
pter indoctio
res conscri
bende.
theologorum iudicio formulæ
& præscripta concionandi, pro-
pter indoctiores sacerdotes, vt
discant ij, quid & quomodo do-
ceant. Ac ne qui indocti sint, in
posterum cauete. Audierint, lege-
rint, didicerint, nouerint vel pre-
cipua religionis nostræ capita,
priusquam ad sacerdotij ordinē,
honorē, commodāue admittan-
tur. Nec deinde aut turpiter o-
ciosi desideant, aut indecorè ne-
gotiosi fatagant. Sed scrutentur
scripturas assiduo : quas perinde
ac vngues proprios cognitas ha-
bere debent. Nā si turpe esse iudi-
cat scriptor quidā clarissimus ho-
minilibero, ignorare ius ciuitatis
suæ, quid nos dicemus de illis,

E iiiij qui

qui quasi regula omnium esse debent, cuiusmodi sunt sacerdotes, si nihilo melius iij, quam qui quis de media plebe nouerint ciuitatis suæ, quæ eadem Dei est & sanctorum angelorum, leges? & quidem eas leges, è quibus salus & omnium & singulorum pendet. Cuperem autem maiorem, quam nunc habetur, scholarum cum priuatarum, tum publicarum rationem duci: ut ita instituerentur adolescentuli, & cum verbis, tum rerum cognitione instruerentur, ne illotis, quod a iunt, pedibus ad sacrarum literarum cognitionem adirent. In hoc enim cardo rei vertitur: hoc plurimum momenti habet ad statum religionis vel euertendum vel stabiendum. Quod vidit profecto

Eto Julianus Imperator apostata, ^{Iulianus Apo-}
 quemadmodum testificatur Gre^{stata scholas}
 gorius Nazanzenus, cùm euer- ^{Christianis}
 tendi Christianismi causa, scho-
 lis publicis, & liberaliore hac in-
 stitutione Christianis interdixit.
 Sed vberius fortassis aliquando
 ea de re commentabimur. Nunc ^{Epilogus.}
 ad finem nostra festinat oratio,
 quando & me vox pariter atque
 latera iam, vt videtis, deficiunt, &
 vos credo audiendo me defatiga-
 ti estis. Hoc tantum addo: Quan-
 doquidem diuinitus est ista ve-
 stra dignitas, Patres, diuino mu-
 nere vindicetur necesse est. Ad
 Deum igitur cōfugite: Deo sup-
 plices procumbite: reddite altis- ^{Psal. 49.}
 simo vota vestra: inuocate cum
 in die tribulationis, sed ex ani-
 mo: Eruet vos, quemadmodum
 E v per

per os Dauidis pollicitus est. Ita
fiet maximè, vt rapaces ac teme-
rarias profanorum hominū, qui
maximè propinqui vestri sunt,
quos vestro malo de patrimonio
Christi saginatis, manus à facul-
tatibꝫ, bonis ac ceruicibus vestris
depellatis, facilius atque certius
multo, quām aut legum Pontifi-
ciarum simul & patriarcharum vindi-
cta & seueritate, aut largiendo &
indulgēdo ipsis, quæ poscunt: &
non modo immunitatem, sed au-
thoritatem vestrā, dignitatēmq;
sacerdotij per omnia recte tuea-
mini: Quod Christus ipse sum-
mus sacerdos & author sacerdo-
tij vestri prēstare vobis dignetur,
qui cum Spiritu sancto in gloria
est Dei patris in sœcula sœculo-
ruin, Amen.

SERMO SECUNDVS
IN DIOECESANA SYNODO

CRACOVIENSI HABITVS.

1549. 9. Decemb.



ERunt signa in sole, & luna, & stel-
lis, & in terris pressura gentium
præ confusione, sonitus maris & flu-
ctuum, arescentibus hominibus præ ti-
more & exspectatione eorum, quæ su-
peruenient vniuerso orbi. Lucæ 21.



VM genus huma-
num à Deo opti-
mo maximo ad fru-
endum ipso , qui
est summum bo-
num, & sempiterna beatitas, con-
ditum , eo deserto in extremam
miseriam vltro sese præcipitas-
set, non est tamen eius ope, cuius
mise-

S E R M O I .

Tit. 3.

Via ad beatitudinem.

Ivan. 16.

misericordię non est modus, omni
nino destitutum. Reconciliauit enim nos ille sibi per sanguinem dilecti filij sui Christi Iesu, ut iustificati grātia ipsius, quemadmodum scribit D. Paulus, hæredes simus secundum spem vitę æternę. Et quoniam donec sumus in hac vita, mortis quām vitę similiore, aliqua tamen via nobis ad beatam illam immortalitatē incedendum est, viam quoq; Christus idem nobis demonstrauit, ut docuit nos tum per se ipse, tum per spiritum suum sanctum omnem veritatem. Ad extremum, ne facile de via, duce itineris veritate amissa, decederemus, néue aduersorum occursantium obiectu lassesceremus aut refugemus, eorum nos multò antè clementer

SYNODICVS.

menter præmonuit, non vt ter-
reret, sed vt præmuniret: Ne vel
prementium malorum pondere
prægrauati, vel impendentium
metu cōsternati, de Dei erga nos
cura, prouidentia, & benignitate
dubitaremus: vt est videre cùm
in alijs multis Euangelij locis,
tum in hoc isto, vnde sermonem
hunc nostrum auspicati sumus.
Cùm enim de varijs signis, pres-
fura gentium, & anxia expecta-
tione eorum malorum, quæ im-
penderent vniuerso orbi terra-
rum, prædixisset, statim consola-
tionem adiecit, subijciens: His au-
tem fieri incipientibus, respicite
& leuate capita vestra, quoniam
appropinquat redemptio vestra.
Quòd si fuit vnquam tempus,
Patres & Fratres venerandi, quo
confo-

SERMO II.

consolatione & cautela p[ro]ij homi
nes, & in primis ministri Christi
sacerdotes indigerunt, nunc il-
lud est maximè, quando omne
mali genus à Christo prænuncia-
tum non iam eminus adueniens
ociosi meditamur, sed agmina-
tim in nos incurſans cominus
Mala horum temporum. experimur. Nam quando bella
crebriora, tumultus & sedicio-
nes maiores & atrociores extite-
re? Quando magis non dico gens
contra gentem, aut regnum ad-
uersus regnum, sed ipsæ in fere
gentes collisæ, regnaque diuisa
insurrexerunt? Omitto pestilen-
tias, fames, & multa portenta at-
que prodigia: Quando profani
homines, nec magis fere alieni,
quam necessarij, cognati, fratres,
& parentes acrius nos persecuti-
sunt?

SYNODICVS.

sunt? Seu quando magis exosí
fuerunt pij cunctis hominibus
propter nomen & ministerium
Christi? aut quando pertinacijs
ij, qui nostra nobis vel negant,
vel diripiunt, templa spoliant,
nos ipsos contumelijs afficiunt,
pulsant, & interficiunt etiā, proh
dolor, obsequium se Deo præsta-
re arbitrati sunt? Nō dico de bar-
baris & à religione nostra Deo q;
alienis, quod esset tamen tolera-
bilius, verum de ijs, qui eundem
nobiscum Deum colere se prē se
ferunt, & ijsdem certè mysterijs
initiati sunt. Quando aut̄ plures
venerunt in nomine Christi, ma-
gistro mēdaces, vt inqt D.Petrus,
introducētes sectas pditionis, au-
daces, sibi placētes, dominatiōes
sicut magistratus contemnentes,
Persecutio
clericis & her-
reticos & lai-
cos.
blasphe-

SERMO II.

blasphemantes & reprehenden-
tes ea quæ ignorant, superba &
vana loquētes, pellicentes mul-
tos in desiderijs carnis & luxu-
riæ, libertatem ipsis pollicentes,
cùm ipsi sint serui corruptionis,
& vt ait Iudas Apostolus, Domi-
ni nostri gratiam transferentes
in luxuriam, & ad extremum, i-
psum dominatorem & Dominū
nostrum Iesum Christum, in san-
ctissimis eius mysterijs, dunta-
xat negantes. quando inquā hu-
iusmodi hominum vberior pro-
uentus fuit? aut quando maiore
impunitate & magistratum cō-
niuentia, nolo enim dicere fau-
re, creuit eorum licentia & auda-
cia? Hi sunt sonitus illi maris &
fluctuum plus quàm decuma-
norum, quos prædixit Christus,
quos

quos & Iudas Apostolus magistrum secutus, fluctus fieri maris, despumantes suas confusiones appellat : Qui quatiunt quidem nauem ecclesiæ, & affligunt vehementissimè, sed nunquam tamen demergent. Deniq; quando magis arescebāt siue tabescabant homines metu & expectatione grauiorum etiam malorū? prænotantibus ea signis, quæ in sole, luna, & stellis maxima nunc apparent. Quando nanque sol magis conuersus est in tenebras, ut est apud Ioelem, & luna in sanguinem? hoc est, quando præsidēs, ecclesiastici quidem scientiæ rerum diuinarum, profani vero pietatis & iustitiæ, quibus prælucere ceteris hominibus, quasi clāluminaria, deberent, magis ex-

F pertes

Dan. II. pertes fuerunt? hi quidem negle
 & tu cultus diuini & iniustitię san
 guine infecti, illi vero ignorantię
 caligine obducti. Quando plures
 stellæ, hoc est, sacerdotes atq; do
 ctores, quorum munus est ad iu
 stitiā erudire multos (hos enim
 Daniel stellis facit similes) à puri
 tate vitæ & recta religione, quasi
 de cœlo prolapsi sunt? Et nescio
 quomodo sit, vt istarum hære
 seon, quæ nunc ecclesiam atque
 religionem Christi diuexant, nō
 alij ferè fuerint authores, sintq;
 etiamnum fatores atque propu
 gnatores, quam sacerdotes & mo
 nachi, sacrarum literarum do
 trinam professi: Nec alio magis
 ex vulgo commendatæ sunt, vi
 resque sumpserunt, quam impu
 ræ & flagitiosæ vitæ sacerdotalis
 intuitu

intuitu & abominatione. Hæc
igitur tot ac tanta mala ne nos
obruant, Patres & Fratres vene-
randi, & à Deo penitus auertant,
etiam atque etiam nobis prouid-
endum, cauēdum, ac deprecan-
dum est. Hanc enim ob causam
huiusmodi terrificæ scripture no-
bis in templis recitantur, vt ne
despondeamus animos. Vnde nō
immerito D. Paulus in epistola ^{Rom. 15.}
ad Roman. id quod hodie in sa-
cris publice recitatur: Quæcūq;
scripta sunt, inquit, ad nostram
doctrinam scripta sunt, vt per pa-
tientiam & consolationem scri-
pturarum spem habeamus. Vbi
animaduertere nos oportet, hæc
verba Pauli sic accipi debere, vt
in aduersis rebus patientiam &
consolationem scripturarum pro-

*Scripture
cur in ecclæ
sus recitetur.*

S E R M O N . I .

rata quisque portione sectantes,
in commune tamen nihilo mi-
nus præsentium pariter & immi-
nentium malorum auertendo
rum rationes ineamus, ne his sci-
entes & videntes inuoluamur,
non sine summo etiam illorum
ipsorum, qui nobis ea cōciliant,
salutis discrimine. Neque enim
Ecclesia non Babylon sed Ierusalem. Christus ecclesiam suam Baby-
lonem quandam confusam, in
qua cuique, quod liberet, liceret,
sed ciuitatem sanctam, Ierusa-
lem nouam, cuius participatio
in idipsum, sed ut castrorum acié
ordinatam esse voluit. Neq; tan-
tum pascere, quod græci βόσκειν
sed etiam regere, quod τομαίνειν di-
cunt, oues suas Petrum iussit. Et
non iussit quidem ille malo resi-
stere, sed idē vendentes & emen-
tes

Apoc. 21.
Babylon sed Ierusalem.

Psal. 121.

Cant. 6.

Ioan. 21.

Matt. 5.

Ioan. 2.

S Y N O D I C V S.

tes de templo eiecit, & peccantē ^{Matth. 18.} in nos fratrem denunciare ecclesiæ, eam vero nō audientem pro ethnico & publicano habere præcepit, recipiens rata fore in cœlis nostris iudicia, & illic etiam ligata fore, quæ hīc ligauerimus: Eiusdem Apostolus, cui dedit ipse claves regni cœlorum, Ananiam & Sapphiram spiritui sancto ^{Acto. 5.} mentientes, verbo peremit: Alius verò, qui non salso spiritū ^{1. Cor. 7.} Dei habere se putat, incestū tradidit Satanę in interitum carnis: Elimam magum verbis suis resistentem cæcitate percussit: Thesalonicenses corripere inquietos, Corinthios malum ex seipsis auferre iubet, vetatq; cibum sumere cum fornicarijs, auaris, idololatris, ebriosis, & rapacibus, & ^{Gal. 5.}

F iiij abscin-

S E R M O N . I I .

I. Tim. 5.

abscindi eos, qui Galatas conturbabant, optat: Timotheo quoque episcopo precipit, ut peccantes coram omnibus arguat, quo ceteri timorem habeant: Tito item, ut cum omni imperio loquatur, exhortetur, & arguat, dureque increpet.

Tit. 2.

Nō igitur suo quisque arbitratu viuere & sentire finendus est in ecclesia: Sed oīa honeste & secundū ordinem fiant in nobis: quemadmodum inquit D. Paulus, ut vñanimes vno ore honorificemus Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi.

Roman. 15.

Atque id non alia re magis assequemur, quam disciplina ecclesiastica: que corripit inquietos, & æquabilitate quadam inæquales cōficiat, & quos ipsa non mouet pietas & caritas, metu & pœnis in officio cōtinet. Neque verò aliud sua uissi-

Tit. 1.
Disciplina
ecclesiastica.

I. Cor. 14.

SYNODICVS.

uiissimus ille iustitiæ & pacis ne-
 xus significat, quē Dauid in dieb^o psal. 71. 6
 & regno Christi exoriturum esse^{84.}
 vaticinatus est. Hæc igitur Patres
 et Fratres, disciplina, inquā, eccl^e
 siastica, rectè et sapienter olim à
 sanctissimis Patrib^o et maioribus
 nostris cōstituta, diligenterq; cu-
 stodita, sed nimis deinde, heu do-
 lor, remissa tēporib^o, lōgo quasi
 postliminio tandem nobis reuo-
 cāda et restituēda est, si religionē
 & sanctissimas ceremonias sartas
 tectas conseruare, si nosipsoſ po-
 puloſque curæ nostræ commen-
 datos saluos esse, si deniq; (quod
 vnū fortasse curamus nonnulli)
 commoda & emolumēta nostra
 retinere volumus, vt certè velle
 debemus. Ad restituendam ve-
 rò, stabiliendam, & quasi manu^{Authoritate & disciplina}
 F iiiij tenen-

SERMO II.

ecclesiastica
 collapsa, com-
 moda nostra
 retinere nos
 non posse.
 Serio consul-
 tandem.
 tenendam disciplinam, authori-
 tate in primis opus est: Quā lan-
 guidam & afflictam hoc tempo-
 re utinā ne nos ipsi magis etiam
 debilitaremus, dum solis com-
 modis nostris studemus, eorum-
 que causa cetera omnia susque-
 deque ferimus, longè errantes,
 mea quidem sententia: Quasi ve-
 ro non illinc hæc, hoc est, ex diui-
 nis terrena dependeant. Neque
 enim existimare debemus, vi aut
 precario diu nos commoda no-
 stra retinere posse, si disciplina &
 authoritas ecclesiastica prorsus
 concidat, si religio Dei que timor
 ex animis hominum effluat: Si
 modo verum est, vt est certè ijs-
 dem artibus, quib⁹ parta est, rem
 quamlibet conseruari. His igitur
 de rebus tantis cùm ab amplissi-
 mo

SYNODICVS.

mo hoc nostro Antistite in con-
 silium mittemini Patres & Fra-
 tres, maturè & non perfuncto-
 riè, quemadmodum aliàs fere fa-
 citatum est, consultandum &
 statuendum vobis erit. Quan-
 quam vt omnia faciamus, non
 tam in consilijs nostris, quàm in
 Dei opt. max. manu res eæ sitæ
 sunt: à quo est, quicquid est ys-^{1ac. 1.}
 quam boni: Sine quo cassæ & va-^{Ad Deum cō}
 næ sunt omnes curæ & cogitatio^{fugiendum.}
 nes hominum. Adeum igitur pu-^{1. Tim. 2.}
 ras manus sine ira ac disceptatio-
 ne leuemus necesse est, vt exau-
 diat nos in die tribulationis & an-
 gustiæ, vt seruet nos nauemque^{Matth. 8.}
 hanc suam, siue ecclesiam, quam
 nunc tantæ tempestates, quantæ
 haud scio an vnquam aliàs qua-
 tiunt, ac tantum non obruunt.

F v Ipse

S E R M O I I.

Psal. 94. Ipse enim per os Dauidis hoc nobis malorū quasi amuletū quodam efficax ostendit: Inuoca me inquiens in die tribulationis, eruāte, & honorabis me. Et apud Lucam supràmemorato cap. 21. post longum illud malorum examen prænunciatū: Vigilate itaq; inquit, omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista

Ad episcopū Cracoviensē sem apostolus p̄b. omnia, quę ventura sunt. Secundum Deum autem in te, Samuel præsul ornatissime, spes nostræ sitæ sunt. Quod ego nō præ omnibus, sed pro omnibus, atque adeò cum omnibus his dico. Cernis enim vt omnium oculi in te coniecti sunt. Et quoniam omnes pariter succlamare inusitatū est, ecce tibi vultibus, gestibus, oculorū & capitum nutibus cuncti

SYNODICVS.

cti quæ dico approbant , ac taciti
fidem opemq; tuam mecum im-
plorant. Non hi autem soli, sed
omnes quotquot te pastorem &
antistitem suum agnoscunt, atq;
adeo cunctus totius Poloniæ, &
adiunciarum ei prouinciarum
ordo ecclesiasticus, te vnum ma-
xime intuetur , tibi se salutemq;
ac dignitatem suam, tibi sanctissi-
mam Christi religionem cum
suis mysterijs ac ceremonijs et-
iam atque etiam commendat.
Quæ ne profligatorum homi-
num consceleratis & impijs au-
sis & conatibus conuellantur ,
& ad extremum , crescente in
dies licentia , pristina barbarie &
paganismo commutata, regnum
quoque hoc amplissimum
pessundent , & ab imis funda-
mentis

S E R M O I I.

*Preccellentia
Episcopi Cra
coniensis.*

mentis eruant, summa cura atq;
diligētia tibi in primis prouiden-
dum est. Abundas doctrina &
consilio, vales gratia & authori-
tate, voluntatis verò & pietatis
non leuia præ ceteris documen-
ta sæpe præbuisti. Facis tu quidé
pro tua humanitate & modestia,
ut nos in consilium adhibeas de
refrenanda eorum audacia, qui
damnatas olim sectas, & ab eccle-
sia catholica aliena dogmata in-
diœcesim tuam inuheret, & pa-
cem consensumq; nostrum per-
turbare sat agunt: de vindicanda
à profanorum hominum conté-
ptu, contumelijs, & iniurijs au-
thoritate ecclesiastica, dignitate
sacri ordinis, facultatibus & redi-
tibus, personisque nostris: deni-
que de moribus nostris depraua-
tissimis.

SYNODICVS.

tissimis & inquinatissimis corri-
gendas, ac de tollendis abusibus.
Neq; id ego non laudo. Est enim
sapientis, non præfidentem suis,
aliorum quoque consilia liben-
ter audire. Et multa fortasse dicēt
multi ex hac doctorum & sapien-
tium virorum corona ad res, de
quibus agitur, multum facien-
tia. Ego vero factis quām consi-
lijs nunc magis opus esse iudico.
Iam pridem enim omnia cùm de
religione & ceremonijs, tum de
disciplina & moribus sacerdotū,
tum autem de authoritate eccle-
siastica, & correctione violento-
rum & sacrilegorum antiquissi-
mis sanctorum Patrum, pontifi-
cum, atque conciliorum canonii-
bus reetè & sapienter constituta
sunt, ita ut qui melius quid nunc
excogi-

*factis quām
consilijs magis opus esse.*

SERMO XI.

Episcoporum culpa. excogitare conetur, cum longè, meo quidem iudicio, errare nēcessse sit. Quòd vero minus quā deberent, hactenus ea value-runt, si verum dicere volumus, episcoporum in primis ea culpa fuit: Qui cùm alia quauis via for-tassis, quām virtute, doctrina, & pietate sua ad amplissimum istum honorem concendissent, & in eo vel ocium & voluptates, vel auram popularem & grati-am, vel opes & potentiam, vel propinquorum suorum erec-tionem stabilimentumq; familiæ, denique quidlibet potius, quām Dei gloriam, & salutem Chri-stiani populi. consecarentur, hæc quę muneris ipsorum erant propria partim inscientia præ-termiserunt, partim non igno-rata

rata neglexerunt: vel non magna opere ad se ea pertinere putantes, vel multitudinis potentium ue voluntates offendere non ausi, ne suis illis studijs & cupiditatibus officerent, vel certe fauore & præsidio regio, quæ non raro necessaria sunt ad reprimendam improborum audaciam, sua ipsorum culpa magis quam infelicitate, vt ego arbitror, destituti. At tu neque secus quam conueniebat, honorem istum adeptus es, neque eundem, quem multi, muneris istius & omnium actionum tuarum finē tibi proposuisti: quippe qui non modo didiceris, verum etiam alios cùm in familiaribus colloquijs, tum in sacris concionibus doceas, quam incertæ, fluxæ,

fluxæ, & momentaneæ sint cun-
ctæ res humanæ, quæ vana atq;
etiam stulta studia. Diuitias, po-
tentiam, ocium, & voluptates,
caduca esse & falsa bona, & exi-
tio sæpe multis fuisse: famam &
gratiam popularem, quæ indul-
gendo et assentando colligatur,
aut non respondere desiderio se-
ctantium, aut non diuturna esse,
interdum etiam iusto Dei iudi-
cio maiore infamia et odio com-
mutari: porro familias, quæ de
patrimonio Christi et pane pau-
perum ditentur et euehantur,
nō multo pòst ferè funditus in-
terire: plærosq; autem ex eis de-
decoris suis esse solere, certè no-
mini et ordini nostro, ne dicam
religioni inimicos: Denique sua
quærentium, diuinisq; ante-
ponen-

Ponentium expectationi & votis non temere quicquam, aut non diu certè respondere. Hæc tu igitur crebro tecum ipse meditans, & cum alijs conferens, fieri non potest, quin posthabit is rebus omnibus, quæ multos aliorum auocat, nauiter, quæ sunt officij tui, cures. Nec est verisimile, ut qui illa, quæ modo commemoraui, probè nota, meditata, & explorata habeas: nō est inquam verisimile, ut vel commodorum tuorum, vel propinquorum & familiæ, vel gratiæ popularis ratio, vel quævis alia res à recto te abducat. Nec est sanè quòd aut inuidiam, aut simultatem potentiū, aut regiæ voluntatis alienationem reformides. Nam vt nondum omnem prorsus inui-

G diam

*Inuidia aut
simultas po-
tentium non
timenda.*

S E R M O I I.

diam splendore virtutis dignita-
tisq; tuæ superaueris, vt poten-
tium quorundam simultatē vi-
tare non possis, certè vtraq; Dei
& ecclesiæ eius causa magno &
excelso animo debes contēnere,
fretus illo Christi promisso, quo
ille tibi tuiq; similibus Apostolo-
rum successorib⁹ os & sapiētiam
daturum se esse pollicitus est, cui
non possint resistere & contra-
dicere vlli aduersarij. Tametsi ut
quisq; potētissimus est, ita maxi-
mè vel amicus tibi est, vel ut de
alijs fortassis abs te diſsentiat, de
religione certè & ecclesia tecum
fentit, vel denique offendere te
J̄esus inutile sibi esse ducit, non
ignar⁹ & obesse te posse multis &
prodesse. Regem vero tu officiū
tuum faciens offendas? qui te &
patriis

Lucæ 21.

officium er-
gare gem.

SYNODICVS.

patris instituto diligit , & suo re-
ueretur,& cùm de repub.lubens
auscultat tuis consilijs,tum in re-
ligione totum se ex te pendere di-
ctis & factis profitetur.Cuius in-
tuitu si qd forte remittere de offi-
cio tuo,pietate antiqua,& autho-
ritate ecclesiastica velis verendū
est,ne ille non temporis causa te
id facere existimet, sed quòd ipse
quoque de rebus indubitatis , &
longo vsu,consensuq[ue] publico
receptis in ecclesia catholica ali-
ter sentias,vel certè dubites.Nec
desunt sanè , qui te ita & apud e-
um,& vulgo traducant , tuoq[ue]
nomine ad seducendos simpli-
cium animos abutantur.Non est
igitur, non est , cur tam amantis
et reuerentis tui regis causa quic-
quam hæsites , aut dissimules.

G ij Quòd

Quòd si is maximè nōnullorum
consuetudine & susurris deprauatus, rectam religionem nostrumque ordinem auersaretur,
ob id ne tu minus officiū tuum faceres? Scio quem rogem. Non est id integritatis, non sapientiæ,
non pietatis, nō constantiæ tuæ.

Constantie exemplarum tra hæreses. Non deessent fortassis de vulgo episcoporum, qui dicerent: Ceddendum esse: Mala esse tempora.
At non ita dixerunt aut senserunt Ignatius, Polycarpus & Cyprianus: non tot Romani pontifices, qui à Petro usq; plus quam trecentis annis sub barbaris & immanissimis tyrānis fuere perpetua ferè serie martyres. Non sic acerrimus ecclesiæ catholicæ defensor Athanasius, Constantio & Valente hæreticis, & inter hos

SYNODICVS.

hos interie^cto Iuliano apostata
imperantibus, & nullo non cru-
delitatis genere catholicos , aut
Christianos omnino persequen-
tibus. Non sic eiusdem Valentis
tempore Basilius, Gregorius Na-
zianzenus, & Ambrosius, & pau-
lò p^ost Ioannes Chrysostomus,
doctissimi & sanctissimi episco-
pi: neque blanditijs deliniti, neq;
minis deterriti , neq; carceribus,
exilijs, proscriptionibus, vllisue
iniurijs aut contumelijs fracti,
quo minus religionem catholi-
cam & ius authoritatemq; suam
& ecclesiæ contra hæreticos, po-
tentissimorum Imperatorum fa-
uore & opibus intentos , atq; et-
iam contra ipsos Imperatores,
vsq; ad extremum halitum tue-
rentur , ne ad leuia quidem con-

G iiij niuen-

SERMO II.

niuentes. Nec ita sensit Thomas Cantuariensis, et nuper Ioannes Roffensis episcopus in Anglia, quidum religionem et ecclesias suas defendunt, sacrilegorum regum gladios non reformidarūt, ipsum principem pastorū Christum imitati, qui animam suam pro ouibus suis posuit. Sed quid externa commemoro, cùm non desint nobis domestica? q̄ et ipsa si nō sunt adhuc, erunt fortassis aliquando illustria. Certè alia longe fuit D. Stanislai, Ioannis Grothi, Sbignei Sennenij, Thomæ Strempinij, fortissimorum pienissimorumq; episcoporum, qui

*Constantia
episcoporum
Cracoviens.*

bus tu Samuel optime, in hac p̄clarâ cathedra aliquanto interuallo successisti, alia inquam horum fuit sententia: qui iram & minas

minas impotentium regum non
veriti, scelera flagitiaque eorum
liberrimè arguerunt, hæreticis
summa vi obstiterunt, ius, im-
munitatē, & prærogatiwas ecclæ-
siæ acerrimè defenderunt, aut e-
reptas recuperarunt, vñsi autho-
ritate sua, quando res postula-
bat, idque aduersantibus in gra-
tiam regum non modo profa-
nis proceribus, sed interdum et-
iam ceteris episcopis. Nec om-
nes tamen morte fortitudinem
illam suam luerunt, sed ij mo-
do, quos Deus martyrij lau-
rea dignatus est: Multi ex eis
ad decrepitam ætatem commo-
dè ac tranquillè vixerunt, &
cùm omnibus, tum ipsis hosti-
bus suis admirationi a terrori fu-
erunt: nonnulli etiam ijs, qui-

G iiij bus

S E R M O I I.

bus aduersati erant, ob idipsum
postea cari euaserūt. Omnes qui-
dēm certè gloriam & nomē sem-
piternum sibi pepererunt, quod
longè optabilius est bonis viris,
quām præsens gratia, quām tran-
quilla & iucunda vita, quām o-
pes, quām splendor familiæ, &
quicquid aliud multos auocat ab
officio. Neque verò mentiri po-
Luca 18. tuit veritas, quæ ijs, qui domos,
aut parentes, aut fratres, aut ali-
quid omnino eorum, quæ cara-
sunt vulgo hominum, propter
regnum Dei relinquunt, multo
plura in hoc tempore, & in futu-
ro sæculo vitam æternam polli-
cetur. Horum igitur tu Samuel
optime, virtutem & robur ani-
mi, sat scio, imitari mauis, quām
istorum, qui temporum iniqui-
tatem

tatem excusant, molliciem, ne dicam nequitiam. Neque enim incognitæ mihi sunt præclaræ cogitationes tuæ, & excelsus animus, certa incertis, vera falsis, æterna momentaneis, diuina humanis anteponens. Tametsi non ea nunc sunt tempora, nec ea est regis nostri indeoles, ut aliquid crudele, nefarium, sacrilegum, aut impium ab eo expectandum sit: Sed cum alijs virtutibus, tum pietate in primis optimi Patris sui similem is se, ut speramus, præstare contendet. Quid est igitur, quod tui quoque in te (quod Pace tua dixerim) non nihil interdum requirunt? quid? quod magis ferè in hac tua diœcesi, quam vsquam alias hæreses in ualescere memorant? quid, quod sa-

G v cerdo-

*Hæreses in
Polonia quæ
do magis in-
ualuerunt.*

SERMO I.

cerdotes tui maximè sua seq; di-
uexari, sacra profanari, sanctissi-
mas ceremonias subsannari, au-
thoritatem ecclesiasticam pro ni-
hilo duci paßim querūtur? quid,
quòd eorundē sacerdotum tuo-
rum nomen vitaque à profanis
tantopere proscinditur? Non a-
liud meo quidem iudicio in cau-
sa est, quàm Terentianum illud,
quod aliquando usurpare te au-
*Lenitas per-
nicioſa.* diui: Ego sum animo leni natus,
non possum aduersari meis. Hoc
ne tu igitur, inquies, reprehendis? Non ego sanè: quippe qui
inter plurimas & præclarissimas
virtutes tuas nullam magis ad-
mirer, quàm lenitatem, facilita-
tem, benignitatem, & clemen-
tiam. Sed vide, quæſo te, ne res
ipsa, hoc est, bonorum virorum,

&

S Y N O D I C V S .

& maximè sacerdotū iuges que-
relæ, oppressio, & clamor in cœ-
lum penetrans reprehendat. Præ
clarum est, fateor, esse dicique le-
nem, facilem, benignum, cle-
mentem, & vt vno verbo dicam,
bonum virum. Sed ei, qui præst
multis, videndū est in primis, ne
sua lenitas & bonis obsit, & ma-
los deteriores etiā reddat. Quin
omnes, quemadmodum ait Co-
micus, deteriores sumus licētia:
quam alit nimia lenitas & facili-
tas. Quamobrem seueritate ea
temperanda est. Lenis fuit pro-
pheta ille & moderator Israeliti-
ci populi Samuel, quem tu non
magis nomine, quàm virtute &
integritate refers: Et tamen is
Saulem regem, Dei præceptum
negligentem auersatus: Non
reuertar,

*Lenitas alit
licentiam.*

*Samuelis pro
pheta lenitas
& seueritas.*

I. Reg. 15.

SERMO II.

Moses.

Num. 12.

Exod. 32.

reuertar, inquit, tecū, quia proie-
cisti sermonem Domini, & pro-
iecit te Dominus, ne sis rex in Is-
rael. Idem Agag impium conci-
dit in frusta corā Domino. Quid
Moyses dux et ipse eiusdem po-
puli, & sacerdos Dei: quem vi-
rum fuisse mitissimū supra om-
nes homines, qui habitabant in
terra, priuatas suas iniurias & cō-
uitia placidissimè ferre solitum,
scriptura sacra testatur: At quan-
topere is exarsit in vltionem ido-
lolatriæ. Ita vt ad viginti tria mil-
lia hominum eius iussu & opera
vna die perirent. Tantum autem
abest, vt cum tantæ illius stragis
pœniteat, vt is executores seue-
ritatis suæ Leuitas etiam conse-
crasse manus suas Domino vnū-
quenq; in fratre & filio suo cō-
firmet,

SYNODICVS.

firmet, & benedictionem Domini
 ipsis, velut pro pio opere pol-
 liceatur. Nec alia re Phinees,
 sacerdos & ipse, sempiternum sa-
 cerdotium sibi posterisque suis
 stabiliuit, & iram Dei à filijs Isra-
 el auertit, quām quod zelatus
 pro Deo suo flagitosos vltus est.
 Heli vero sacerdotem & Saulem
 regem non ob aliud Deus auersa-
 tus est, quām quòd ille quidem
 peccates filios suos leuius, quām
 debebat, corripuit, hic vero A-
 gag regi & Amalechitis impijs
 pepercit. Nam vt admiranda est
 in priuatis lenitas & mansuetu-
 do: sic in magistratu apprime ne-
 cessaria est in loco seueritas: Qua-
 vbi vacat respubl. peccare vulgo
 aiunt eos, qui recte agant: subla-
 toque bonorum ac malorum di-
 scrimi-
Phinees.
Num.25.
Heli & Saul
cur à Deo res-
iecti.
1.Reg.2.

S E R M O I I.

scrimine, sursum ac deorsum cū
cta misceri, & ad extremum euer-
ti funditus eiusmodi respub. ne-
Seueritas ep̄i
scopo neceſſa
faria. cesse est. His igitur animatus &
admonitus Antistes optime, tu
quoq; in impios, in hæreticos, in
sacrilegos, in violentos, deniq; in
nos ipsos, qui vita & moribus ni-
hil minus, quam sacerdotes, su-
mus, maiore seueritate vti inci-
pe: Vince ingenium tuum: Serui
to vſibus ecclesiæ: Sentiant te iu-
dicem, qui patrem non agno-
scunt: Sentiant seuerum, qui ha-
etenus lenitate tua sunt abusi:
Luce 10. Imitare Samaritanum illum eu-
angelicum, qui vulneribus con-
fauciati à latronibus, non modo
lenitatis oleum, verum etiā acri-
moniæ vinum infudit: Siue adeò
imitare Christum, cuius mini-
ſter

ster es. Imitare autem non tantū
 commendantem & remuneran-
 tem fidem Petri, verum etiam re= *Matth. 16.*
 ijcientem eum, vt Satanam atq;
 scandalum: Nec tantum filiolos *Marc. 10.*
 & amicos appellantem eos, ad *Ioan. 15.*
 quos loquebatur, verum etiam
 væ & gehennā minitantem: Nec *Matth. 23.*
 tantum ad refocillationem & re- *Matth. 11.*
 quiem inuitantem laborantes &
 oneratos, verum etiam flagello *Ioan. 2.*
 ejcidentem è templo vendentes
 & ementes, & mensas nummula-
 riorum subuertentem. Eiecit ille
 vendentes sua, suoq; ementes ea,
 q; cultui diuino seruiebant: Eijce-
 tu commenta sua, vel etiam alic-
 na, ꝑ verbo Dei venditátes: ejce-
 cultum diuinū profanátes, & san-
 ctissimas ceremonias irridentes,
 ejce rapientes aliena, & in Chri-
 stos

SERMO II.

stos Domini sacerdotes impias
 & consceleratas manus injicien-
 tes. Denique subuerte mensas
*Mensas num-
 mulariorum
 subuertere
 quid?*
 nummulariorū: hoc est, repurga
 Dei ecclesiam negotiatoribus,
 cauponibus, & ijs omnino sacer-
 dotibus, qui quæstum esse putat
 pietatem, cumque moribus & vi-
 ta omni, atque etiam opinioni-
 bus fortasse maximè pfani sint,
 in sacra vel fraude irrepunt, vel
 vi irrumpunt, & in opimis sacer-
 dotijs, non sine probro totius or-
 dinis, non Iesu Christo, sed suo
 ventri seruiunt & libidini. Libe-
 ra nostrum ordinem non modo
 inuidia & contemptus vulgi, sed
 etiam capitali oīniū odio, quo
 nimis prægrauatur, nostra ipso-
 rum fortasse culpa. Et facis tu
 quidem permulta: Longè plura
fanc

1.Tim.6.

Roman.16.

SYNODICVS.

sanè quām quisquam alius: quod
citra inuidiam dictum sit: quin
& extra tuā diœcesim (scio quid
dicam) conseruandæ vel instau-
randæ religioni non malam na-
uas operam. Sed quò magis ad
pietatem te appositum esse ho-
mines animaduertunt, quò me-
lius, quid factō opus sit, callere
existimant, quò plus deniq; pos-
se intelligunt, eò maiora abs te
expectant. Neque enim ad vul-
garem huius temporis episcopo-
rum laudem sed ad prisorum il-
lorum decus te natum esse iudi-
cant. Enitere igitur, & quo stu-
dio curaqué alij pro commodis
suis necessariorumque suorum
satagunt, ea tu pro gloria Dei, &
ecclesia Christi, cui omnia tequé
ipsum debes, dimica: fauebit pro-

H cul

S E R M O I I.

cul dubio pio studio & conatui
Deus, & non modo euentum
præstabit, verum etiam cariorem
& admirabiliorem cunctis te red-
det, ac deinde beata immortaliti-
I. Petr. 5. tate, & ut ait D. Petrus, immar-
cescibili gloriæ corona remune-
rabitur.

*Adhortatio
cleri.*

At vos Patres & Fratres vene-
randi Pastoris & Antistitis vestri
tam pios, & vobis ecclesiæq; Dei
salutares conatus pijs votis & fa-
uore prosequētes, assiduis apud
Deum precibus adiuuate. Illo
aspirante hic facile & hæretico-
rum prauam sementem extirpa-
bit, & diuini cultus atque eccl-
esiasticæ authoritatis contempto-
res & euersores percellet, & sa-
cilegas cupidorum hominum
manus à fortunis ac ceruicibus
vestris

SYNODICVS.

vestris arcebit, & verò ornandis
 bonis ac dignis viris, negligendis
 indignis, coercendisque impuris
 & improbis, splendorem ac di-
 gnitatem suam pristinam, cete-
 roruinque ordinum caritatem
 & obseruantiam nostro ordini
 restituet. Quod si forte aliud pec-
 cata nostra promeretur, & accu-
 ratius etiam ventilabrum in ma-
 nu habenti Deo aream suam pur-
 gare visum erit, his fieri incipi-
 entibus respiciemus, quemad-
 modum à CHRISTO mone-
 mur, & leuabimus capita nostra,
 quoniam appropinquat redem-
 ptio nostra: & ad illam, de pati-
 entia & consolatione scriptura-
 rum, Pauli doctrinam configie-
 mus, ne defatigemur animis no-
 stris deficientes: in patientia no-

Luce 3.Romae. 15.Hebr. 12.

Hij stra

S E R M O I I.

Marc. 8.

stra possidebimus animas no-
stras, pro quibus nullam parem
commutationē dare possumus:
Hebr. 12.

per patientiam curremus ad pro-
positum nobis certamen, aspici-
entes in authorem fidei, & con-
summatorē Iesum, qui proposi-
to sibi gaudio sustinuit crucem.

I. Petr. 1.

In hoc enim vocati sumus, quem
admodum scribit D. Petrus. Co-

Actor. 14.

gitabimus, per multas tribulatio-
nes intrare nos oportere in re-

*Ad quid no-
catis sumus.*

gnum Dei. Non enim ad huius

vitę commoda vocati sumus, ne-
que humili defixas cogitatiōes &

spes habere debemus. Neque hic

manentem ciuitatem habemus,
sed futuram inquirimus, vbi pax

summa est, & tranquillitas, &
sempiterna beatitas: Vbi non esu-

Hebr. 13.

riet quisquam, vt est in Apoca-
lypsi,

Apocal. 7.

S Y N O D I C V S.

lypsi, neque sitiet , neq; cadet su-
per cum sol, nec vllus æstus : vbi
absterget Deus omnem lachry-
mam ab oculis sanctorum. Deus
autem patientiæ & solatij det noRoman. 15.
bis id ipsum sapere in inuicem
secundum Iesum Christum, &
repleat nos omni gaudio & pace
in credendo, vt abundemus in
spe & virtute spiritus sanc*ti*: Cui
cum eodem patre & filio, vni, in-
uisibili, immortali, omnipotenti
Deo omnis honor, laus, &
gloria, in sæcula sæcu-
lorum:
A M E N.

H iij EIVS-

S E R M O N I I .

EIVSDEM TERTIVS
SERMO SYNODICVS.

PAracletus autem Spiritus sanctus,
quem mittet pater in nomine meo,
ille vos docebit omnia, & sugeret vobis
omnia, quæcumque dixi vobis.

Ioan. 14.



psal. 138.

N cunctis operibus
Dei optimi maxi-
mi quæ sunt admi-
rabilia, quemadmo-
dum canit psaltes,
nihil est, Patres & Fratres, mea
quidem sententia admirabilius,
nihil diuinius, nihil summa & in-
finita Dei sapiētia dignius, quam
quod ea, cùm tam multa, tam va-
ria, tam diuersa inter se, tamenque
contraria sint, tamen mirabili
quodam

quodam nexu inter se colligata sunt: & ab uno in multa ac pene infinita explicata, & ut ita dixerim, dissipata, ab uno dependet, & ad unum reflectuntur. Ad locum, inquit sapiens Ecclesiastes,^{Eccles. I.} vnde excunt flumina reuertuntur, ut iterum fluant. Quod de uno genere dictum, ad omnia recte referri potest. Nam ut remotiora, ac reconditiora preteream, terram mihi quæso, quam calcamus, & à qua sustentamur, paulisper intuēamini, quā multiplici specie sese nobis ostentat: hic montibus atque collibus intumescens, ibi vallibus & saltibus subsidens, alibi aperiatis campis diffusa: hic solida, ibi caua: hic arida, illic irrigua: alibi sylvis arboribusque opaca, alibi faxis scabra, alibi pratibus aruisque

H iiiij aprica,

S E R M O N I I.

aprīca, alibi dumis, sentibus,
frutetisque horrida: hic frigidis,
ibi calidis aquis scaturiens: hic sa-
lubribus, ibi noxijs herbis foeta:
& partim limosa, partim arenosa,
partim viscosa, partim pulue-
rulenta: alibi minio rubens, alibi
sale liuens, alibi gypso cretaque
candens: hic pulla, ibi ruffa, illic
cærulea, flaua alibi, aut viridans.
Denique vario gemmarum ful-
gore, & auri, argenti, æris, plum-
bi, ferri, & aliorum metallorum
abditis venis pulcherrimè distin-
cta. Et tamen vbiq; terra eadem
est, ab uno facta opifice, ac tribus
appensa digitis, vt quodam lo-
co sacra scriptura memorat, tam
variè ac tam distinctè, cùm ad or-
natum vniuersi, tum ad usus &
opportunitates animalium, & in
primis

primis hominis velut omnium
domini ac patris familias distribu-
ta. Quid homo ipse? quanta va-
rietas, & quam numerosa de-
scriptione partium membrorum-
que constat? Dies me profecto
deficiat, si ossium, cartilaginem,
neruorum, interiectarum inter
haec cordarum, venarum, arteria-
rum, carnium, sanguinis, spiri-
tuum, flauæ atræque bilis, & pi-
tuitæ multiplices commodita-
tes, concordemque discordiam,
tum autem singulorum mem-
brorum diuersas formas, situs,
habitudines, & aptas vsui concin-
nitates singillatim enumerare ve-
lim. Quam vero ex diuersis pu-
gnantibus rebus, nempe igni, a-
qua, aëre, terra, denique animo
& corpore compactus is & con-

H v stitu-

stitutus est? Quorum duorum
extremorū corpus quidem cras-
sum, imbecillum, aspectabile, pa-
tibile, mortale, sensus & rationis
expers est, animus verò tenuis,
vegetus, obtutum fugiens, im-
patibilis, immortalis, sensu & in-
telligentia præditus. Et tamen
hæc omnia ut ab uno authore
profecta sunt, sic uno spiritu ve-
getata, vnius animi imperio nu-
tuq; administrata, vnum homi-
nem efficiunt, ciuem & modera-
torem mundi, contemplatorem
& imitatorem Dei. Iam verò tot
hominum tam dissimiles figu-
ras, sexibus, etatibus, regionibus,
vitæ rationibus, coloribus, deni-
que innumerabilibus & ineffabi-
libus singulorū proprietatibus
distinctas quanto magisterio ex-
titisse

SYNODICVS.

titisse existimamus? Atq; ita quidem extitisse, vt omnibus tamen insit vna effigies, qua à ceteris animalibus discernatur. Quid igitur? Lusisséne in his Deum opt. max. ociose, & lasciuisse arbitramur? Absit tam impia cogitatio. Sed voluit is nimirum tacitè, & quasi pictura quadam illustri ob oculos posita nos, quibus ratiocinandi & aliud ex alio colligendi vim indidit, admonere, vt quēadmodum hęc oīa tam varia, tamq; dissidētia, multis tamen rationibus inter se connexa cōueniunt, & vnum sui authorem præ se ferrunt, ita nos tot ac tā diuersis linguis, regionibus, legibus, institutis, imperijs, ordinibus, professionibus, fortunis, atq; moribus disiuncti, tamen voluntatibus & reli-

S E R M O I I I.

religione, quam peculiariter præ
ceteris animantibus in animis pe-
nitus insitā habemus, inter nos
confociaremur, vnumq; omnes
authorem & parētem omnium
se agnosceremus, coleremus, ve-
neraremur, eoqué sempiterno
æuo beati & felices frueremur.
Et cùm genus humanum, depra-
uata lapsu primorum hominum
natura, non modo inter se, profli-
gata prorsus mutua beneuolen-
tia, detestandis & plusquam fe-
ralibus odijs atq; inimicijs dis-
sideret, verum etiam Dei ipsius
cognitionem cultumq; amisis-
set, ac suo, quod aiunt, iumento
sempiternum exitium sibi accer-
siuisset, non tamen id habuit de-
relictui clementiss. pater. Sed fi-
lium suum vnicum de cœlis in
terras

terras demisit, qui perditis certam salutem, docendo pariter & liberando afferret. Ne hoc quidem satis habuit. Sed cum seruator ille doctorque veritatis Iesus Christus munere suo, ob quod in terras venerat, vitaque mortali defunctus in cœlum remearet, alium consolatorem, doctorem, ac ducem, spiritum inquam sanctum nobis pollicitus est, qui nobiscum æternum mansurus, & omnia nos docturus, omniumque à se dictorum admonitus esset, quemadmodum è D. Ioannis Euangeliō recitari dudu audiuistis. Etsi enim præterita peccata nostra sanguine suo penitus abstersit Christus, & pristinam nobis innocentiam reddidit, tamen labem illam ignorantiæ,

S E R M O I I I.

tiꝝ, & procliuitatis in vitia, quæ
vniuerso generi humano è pri-
morum hominū scelere adh sit,
non eluit, neque molestias & ad-
uersitates o es ex eod e fonte ma-
nantes omnino sustulit, vt esset
 petuo materia mortalib  men-
tis virtutisq; exercend . Quocir-
ca in t  c eca, tamq; lubrica vita
opus erat doctore, moderatoreq;
perpetuo, qui neq; errare homi-
nes, in his pr fertim, q; ad religio-
nem cultumque diuinum perti-
nent, sineret, & ad declinanda vi-
tia, ferendaq; moderat  aduersa
& inc moda viti  huius ob speim
futur  imbecilles animos con-
firmaret, ac mutua deniq; inter
ipsos benevolentia & charitate
eos deuinciret, hoc est, qui eos &
inter se, & cum Deo quam maxi-
me

mēvnum efficeret. Is itaq; spiri-
 tus sanctus est, qui cōtum Chri-
 stianorum, & ecclesiam Christi
 Iesu ppetuo gubernat, illustrat,
 & ab omni noxio errore, perdi-
 tissimorumq; dēmonum & pro-
 fligatorū hominum; tyrannorū
 atq; hæreticorum cūm aperta vi,
 tum occultis insidijs tuetur. Et
 quamuis fluctuare eam interdū
 sapientissimo ac diuino consilio
 suo sinat, mergi quidem certè &
 obrui nunquam patitur. Nam q;
 humanis viribus, aut opibus, &
 potentia, aut generis nobilitate,
 aut propinquorū, necessariorū,
 clientumq; multitudine, aut in-
 genio atq; doctrina, aut gratia de-
 niq; populari, siue indulgēdo, si-
 ue largiendo, seu qua alia ratione
 comparata, fidamus, nihil est. Oīa
 hæc

spiritus eco
 cleſiam pera
 petuo gubern
 nat.

Presidia hæ
 mana mētra
 ta & infira

ma.

hæc humana sunt præsidia, incer-
 ta & infirma, & in quibus nō est
 psal. 145. salus, ut canit Psaltes. Et Hiero-
 Hier. 17. mias, Maledictum esse eum ho-
 minem pronunciat, qui confidit
 in homine, & ponit carnem bra-
 chium suum. Neque vero vide-
 mus minus esse affines his malis
 de quib⁹ dudum loquimur, eos,
 qui his præsidijs abūdant, quām
 qui omnino carent. Imo ab his
 ipsis illi fere maximè oppugnan-
 tur: sapienter prouidente Deo,
 vt abscissa nostri, hostrorumque
 omni fiducia, se solo fidamus,
 sublatoque contemptu mutuo
 & inuidentia, inter nos diliga-
 mus. Siue igitur arrogantes & im-
 pij hæretici venenatis scriptis ac
 dogmatibus suis nos oppugnat,
 siue cupidi homines, crudeles &
 scele-

*In periculis
ad Deum cons
fugiendum.*

SYNODICVS.

scelerati tyranni fortunis & vitæ
nostræ imminent, siue nocentissi-
mi dæmones omnia mouent,
& omnia in nos ignita tela sua vi-
brant, seu deniq; cœlum, terra,
maria, supera, & infera cuncta in
nos coniurant, vt nos inter nos,
& à Deo disiungant, ad hunc do-
ctorem, consolatorem, defenso-
remq; nostrum summa cum fi-
ducia confugiamus: eius præsen-
tem opem fidemq; imploremus.
Nunquam ille nos deseret, auxi-
lio suo fidentes. Non potest deci-
pere Deus: non potest mentiri
veritas. Verum enim uero puris
hic animis adorandus, & inuo-
candus est, & ab omni praua fi-
ctione & simulatione alienis. Et-
enim in maleuolam animam, vt ^{sap. i.}
inquit sapiens, non introibit sa-

I pientia,

SERMO III.

pientia, nec habitabit in corpore
subdito peccatis. Spiritus enim
sanctus disciplinæ effugiet factū,
& auferet se à cogitationib⁹, quæ
factum quod
effugit spiritus
sunt sine intellectu. Quid autem
sunt s. quid? illud factum est, quod effugit Spi-
 ritus sanctus? Quid? nisi cùm no-
 stris cupiditatibus inhiamus, di-
 uitias, honores, dominatum, vo-
 luptatesque consectetur, & Dei
 nos causam agere simulamus?
Cogitatio-
nes sine intel-
lectu, que? Quæ vero sunt cogitationes sine
 intellectu? Nimirum quibus om-
 nia nostra in nobis ipsis ponim-
 us, omnia nobis arrogamus, &
 ut soli sapere videamur, aliorum
 iudicia contemnimus, instituta
 maiorum conuellimus, consen-
 sumque vniuersæ Christi ecclæ-
 siæ pro nihilo ducimus. Ab hu-
 iusmodi cogitationibus abhor-
 ret

SYNODICVS.

ret spiritus sanctus. Nō est enim,
 vt inquit Paulus , dissensionis ^{1. Cor. 14.}
 Deus, sed pacis. Et vt vnum ipse ^{Deus vnitatem & concordiam dilig.}
 est, ita vnitatem & concordiam
 maximè diligit . Quamobrē ipse ^{git.}
 quoque Christus Iesus transiens
 de hoc mundo ad Patrem , vt est
 apud Ioannem, nihil magis com- ^{Ioan. 14. 0.}
 mendauit suis, quām pacem, ni- ^{17.}
 hil magis à patre petiuit, quām
 vt seruaret eos , vt essent vnum,
 sicut & ipse cum illo vnum est.
 Nimirum quòd aliter ope illa
 ductuque, & consolatione spiri-
 tus sancti , quam eis pollicéba-
 tur , potiri non possent , nisi pa-
 cem & mutuam inter se beneuo-
 lentiam sedulo colerent. Paulus
 item vas Dei electū , vniuersum
 Christianorum hominū cōtum <sup>Ephes. 4.
Coloſ. 1.</sup>
 vnum corpus è multis membris

I ij compa-

SERMO III.

compactum pluribus in locis ap-
pellat, quo magis unitatē & con-
cordiam, qualis inter membra
vnius corporis est, omnib⁹ com-
mendaret. Eam vero unitatem &
concordiam ut sedulo retineret

Synodi et cōsilia cur insti-
tuta. & aleret ecclesia, Synodos, hoc
est, concilia & conuentus insti-
tuit, quibus Antistites & magi-
stri religionis, qui sacerdotali or-
dine censentur, conuenirent, &

siue quid de summa religionis,
seu de placitis decretisque maio-
rum in dubium reuocaretur, seu
quid dissidij exortum esset, siue
qui ritus & cæremoniæ publicè
instituendæ, seu quid in moribus
depravatum corrigendum, seu
quo alio denique modo publicæ
tranquillitati & politiæ prospici-
endum esse videretur, implo-

rata

S Y N O D I C V S.

rata ope spiritus sancti, accurate & placide inter se conferrent, certique aliquid constituerent, quod ab omnibus conseruari necesse esset. Neque enim unquam derant in ecclesia superbi & arrogantes homines, quamuis sancti in speciem nonnunquam, qui rempublicam Christianam perturbarent, & sancti spiritus nomine in suis somnijs, & impijs nugis impudenter abuterentur. Neque verò aliter iij refelli & compesci unquam potuerunt, aut etiam nū possunt, quam recto piorum hominū & magistratum sacrorum, ac totius ecclesiæ consensu: propterea quod Christus Iesus, qui ut cū patre, ita et cum sancto spiritu vnum est, ibi demum se affuturus pollicitus est,

*superbi &
arrogantes
in ecclesia.*

*Arma ecclesie
sive Synodorum &
Conciliorum.*

Matth. 18. vbi duo vel tres in eius nomine cōgregati essent, hoc est, vbi pius et religiosus hominum consensus esset: et quod idem præcepit, eum qui ecclesiam non audierit, pro ethnico et alieno habendum esse. Hæc semper fuerunt eruntq; arma ecclesiæ Christianæ aduersus omnes siue hominum, siue dæmonum insultus. His sæpe sceleratis tyrannorum conatibus et furori ecclesiæ tranquillitatem perturbanti obuiatum est: His intestina dissidia atque schismata amputata: His resecta corruptorum morum germina: His Nestorianorum, Macedonianorum, Manichæorum impietas profligata: His Ariorum & Catychianorum repressus furor: His Luciferianorum & Acria-

Aerianorū errores refutati, qui nunc demum, post tot secula resuscitati, pro salutaribus dogmatis & ipsissimo verbo Dei, proh nefas, plausibiliter vulgo acceptantur : His sexcentæ aliæ hæreses deiecta : His denique eorum, qui ritus veteris legis seruandos esse Christianis asseverabant, error in ipsis nascentis ecclesiæ incunabulis, ut est in Actis Apostolorum, oppressus est. Et poterant illi se verbis Dei tueri, nempe quod idem Deus illam quoq; legem dedisset, & sempiternam esse voluisset, & q; Christus non ad soluendam, sed ad implendam eam se venisse, & ne unum quidem iota aut apicem de ea peritum esse, donec omnia fierent, iurejurando etiam inter-

posito, ut est apud Matthæum affirmasset. Et tamen plus valuit consensus ille concilij, quam di-
serta Dei verba. Non quod ma-
ior esset hominum, quam Dei au-
thoritas, quemadmodum sæpe noui isti euangelistæ cauillantur:

*In scripturis
multa obscuras & ambigua.*

sed quod in verbis Dei scriptu-
risque multa sint obscura, mul-
ta ambigua, quæ intelligi non ni-
si eodem doctore, quo edita &
conscripta sunt, hoc est, spiritu
spiritus s. in ecclesiis. sancto rectè possunt. Qui quidé
extra septa ecclesiæ vniuersæ vim
suam viuificam non exerit. Itaq;
disertè ibi diuina sancti spiritus
authoritate decretum suum A-
postoli præmunierunt. Visum
est, inquiunt, spiritui sancto &
nobis: Ut nos intelligeremus, &
illius Synodi spiritum sanctum
præfis-

SYNODICVS.

præsidem & moderatorem fuisse, & omnium rite ordineq; coactarum semper esse, quamuis indocti nonnunquam & impuris sint, qui in his decernendi potestatem habent, modo ut in Christi nomine congregentur, hoc est, vt Dei, non suam rem agant.

Vult enim Deus hominibus per homines opitulari, vt omnium inter ipsos voluntates conciliet. Deus homini
bus per homi
nes opitula
tur quare?

Ac poterat quidem cœlitus illi concilio sententiam suam certissimis & euidentissimis argumentis declarare, quemadmodum fecit, quando Hebræo populo legem dedit, aut quando in Paulo inconsultam illius ipsius legis simulationem redarguit. Sed utilius erat ad alendam & retinendam plurimorum inter se bene-

I v uolen-

uolentiā, retundendūque non-
 nullorum fastum atque temeri-
 tatem, si hominum necessitati-
 bus per homines succurreret.
 Quanquam & in lege perferen-
 da & in conuertendo Paulo, non
 omnino opera hominum absti-
 nuit. Nam & illic Mose, & hic A-
 nania suæ voluntatis interpreti-
 bus usus est. Et verò prophetæ
 omnes noui iuxta ac veteris testa-
 menti, quid aliud erant, quam di-
 uinæ voluntatis interpretes &
 internuncij? At enim illi digni e-
 rant, per quos Deus, quæ vellet,
 hominibus patefaceret, nos indis-
 gni. Non dicam hic, neminem
 prorsus ex sese aut illa, aut vlla
 omnino gratia Dei dignum esse.
 Sed hoc dico: Deum dignis pari-
 ter & indignis ad id ministerium
 vti,

Deus dignis
 & malignis
 ad ministeria
 rium suum
 vocatur.

vti, quod quidem ad aliorum magis, quam eorum, per quos fit, utilitatem refertur. Tam libera verò eius iudicia sunt in hac parte, vt neque Balaam infrenem auaritiam, neq; Saulis regis prauitatem, neque senis illius, qui alterum prophetam Bethel ad Hieroboam regem à Deo missum, vt est 3. Regum 13. decepit, improbitatem, neque Cayphæ conseleratam mentem, ac ne asinæ quidem stoliditatem abhorruerit, quo minus his ministris ad commonefaciendos aut redarguendos quos vellet abuteretur. Quæ cùm ita sint, nos quoque, quorum & antiqua pietas rectaque religio ab hæreticis exagitatur, & facultates, nec scio an etiam corpora à cupi-

S E R M O I I I . S Y N O D .

à cupidis, conseleratis, & impro
bis hominibus passim vexantur,
& vero greges à Deo commissi
Iuporum rabie vel laniantur, vel
dissipantur: Nos quoq; inquam,
optimi Antistitis nostri monitu,
ad eadem illa arma cōfugiamus,
certaq; sancti spiritus, quem du-
dum in sacro sancto sacrificio pa-
riter inuocauimus, ope freti, de
ijs rebus, quæ nos gregemque
Christi, nobis pro sua cuiusq; vi-
rili parte concreditū, premunt,
ac de excitando & instaurando
cultu diuino salutaria cōsilia in-
eamus, quæ mox cum alijs
ecclesijs in prouinciali
Synodo commu-
nicentur.

D E

DE RESVRRECTIO- NE DOMINI SERMO.



A VID propheta regius futurā Christi resurrectionem spiritu sancto prauidens, quū perspicceret, quanta beneficia in omne hominum genus ex ea prouētra essent, bonamque eorum partem recensuisset, ad postremum in hanc erumpit vocem. Hæc est psal. 117. dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Quasi diceret, omnes quidem dies fecit Dominus, quemadmodum testatur Moyses, Genes. 1. sed hanc tamen praalijs beneficentia sua insignem & celebremi esse voluit, non solum ijs, qui in terris degunt, sed &

DE RESVRRECTIONE

& inferis pariter atq; cœlitibus.
Nanque hac die ingense exortum
est gaudium hominibus. Hodie
verè dominus afflictionem po-
puli sui respexit. Hodie Christus
genus humanum liberauit à ser-
uitute Aegypti durissima , hoc
est à potestate tenebrarum , & à
captiuitate Babylonis, id est con-
fusionis & inferorū , vbi nullus
Iob. 10. ordo, quēadmodum inquit Iob,
sed sempiternus horror inhabi-
tat. Hodie nos in delictis mor-
Coloſ. 2. tuos cum Christo cōuiuificauit,
vt est apud Paulum. Et præstítit,
vt peccatis mortui iusticiæ viua-
mus, donans nobis omnia deli-
cta, delēs quod aduersus nos erat
chirographum decreti , quod e-
rat contrarium nobis. Hodie nos
CHRISTVS ex filijs ire, vt est
in

DOMINI SERMO.

in epistola ad Ephes. cap. 2. filios
& hæredes Dei, cohæredes au-
tem suos, testante eodem Pau-^{Roman. 8.}
lo effecit, & carnem nostram,
quam assumpserat glorificauit.
Hodie spem & fidem nostram
firmauit, resurgens à mortu-^{I. Cor. 15.}
is primiciæ morientium. Nan-
que ille quod resurgens ex mor-
tuis, iam non moritur, mors illi
ultra non dominabitur, nobis
iam non moritur, nobis fregit
mortis potentiam. Nam sicut in
Adam omnes moriuntur, ita in
CHRISTO omnes viuifica-
buntur. In hoc enim in mun-^{Ioan. 3.}
dum venit, ut omnis qui credit
in eum, non pereat, sed habe-
at vitam æternam. Quæ esset fi-
des nostra si CHRISTVS ex
mortuis non surrexisset? Nonne
vana

DE RESVRRECTIONE

vana & inanis, vt inquit Paulus
ibidem. Hodie impletū est, quod
prædixit Dominus populo suo
Hiere. 30. per Hieremiam. Omnes, inqui-
ens, qui comedunt te, deuora-
buntur, & vniuersi hostes tui in
captiuitatem ducentur. & om-
nes qui te vastant, vastabuntur,
cunctosque prædatores tuos da-
bo in prædam. obducam enim ci-
catricem tibi, & à vulnerib⁹ tuis
sanabo te, dicit Dominus. Deuo-
rati sunt, qui genus humanum
comedebant, nempe mors & pec-
catum, vniuersi hostes eius ne-
quissimi dæmones in captiuita-
tem ducti sunt, vastati atque fra-
eti, cùm obduxit dominus cica-
tricem populo suo, hoc est, quū
per resurrectionem maledictum
legis et peccati deleuit, et sanctos

Patres

D O M I N I S E R M O .

Patres, qui in limbo inferorum erant, in lucem & ad vitam æternam eduxit, lætantes & canentes: Aduenisti desiderabilis, &c. Id quod etiam Esaias prædictus. Hi ergo sancti Patres cū post resurrectionem eius in sancta civitate apparuissent multis, ut est apud Matthæum, vt ipsi gauisi Matth.27. sunt, ita procul dubio testificati sunt & CHRISTVM verè reuixisse, & nos omnes post mortem resurrectos esse, sed non æquabiliter: nam eos tantum ad gloriam, qui cum Christo mortui mundo, mortui peccato in CHRISTO Deo vixissent. Iam vero quantopere credimus hodie angelos in cœlis lætari de resurrectione Domini & creatoris sui, in cuius faciem iu-

K giter

DE RESURRECTIONE

giter gaudent prospicere? quanto-
topere de restaurazione casus Lu-
ciferi cum vniuersa factione sua
per generis humani redemptio-
nem & in locum illorum per-
ditorum successionem? quanto-
pere, quod homines, quibus in
ministerium dati sunt, socios in
gloria per CHRISTI resurre-
ctionem nacti sunt? Declarat id
quadamtenus diuus Marcus in
hodierno Euangilio. Neq; enim
passi sunt diutius Christi discipu-
los de morte eius tristari neq; de
resurrectione dubitare. Sed val-
de mane vna sabbatorum Maria
Magdalena & Maria Iacobi & Sa-
lomæ emptis aromatibus cùm
irent vt vngerent Iesum, & inter-
se loquerentur, Quis reuoluet
nobis lapidē ab ostio monumen-
ti,

ti, viderunt reuolutum lapidem
atque in monumento iuuenem
id est angelum in dextris seden-
tem coopertum stola candida. Is
quum videret eas perterrefactas,
blandè consolatus est inquiens,
Nolite expauescere, Iesum quæ-
ritis Nazarenum crucifixum, sur-
rexit, non est hic. Ecce locus vbi
posuerunt eum. Sed ite, dicite di-
scipulis eius & Petro, quia præ-
cedet vos in Galilæam, ibi eum
videbitis sicut dixit vobis. Id tan-
tum gaudium etiam terra tre-
more suo testata est, teste Mat-
thæo cap. vltimo, credibileq; est
omnia elementa conditori suo à
mortuis resurgentî gratulata es-
se, quemadmodum morienti cō-
doluerunt. Quare cùm tanta hu-
ius diei beneficia agnoscamus, æ-

K ij quum

DE RESVRRECTIONE

Exod. 12.

quum & conueniens est, vt exultemus & lætemur in ea, quemadmodum iubet Dauid. Celebremus diem solennem domino in generationib^o nostris cultu semperiterno, quemadmodum præcepit dominus populo Israel per Mosen. Et tanto quidem maiori veneratione celebremus, quanto plura & meliora Dei beneficia hac die, quam populus Israel in suo pascha recolebat, recolimus. Ille de temporaria & non usque quaque dura Pharaonis seruitute se liberatum esse acceptum referbat Domino. Nos hodie per Christum à fœtissima peccati, demonum, & mortis æterna tyranide redempti, vitam & adoptionem filiorum Dei accepimus, vt iam non simus serui, sed amici & filij

D O M I N I S E R M O .

filij Dei. breuiter hac die omnia
per Christum accepimus, cum il-
lo nobis omnia donauit Deus. ^{Roman. 8.}
Itaq; epulemur, vt idem Paulus
inquit, non in fermento veteri, ^{1 Cor. 5.}
neque in fermento malitiæ &
nequitiæ, sed in azynnis synceri-
tatis & veritatis. Resurrexit Chri-
stus propter iustificationem no-
stram. Consurgamus ergo & nos
à peccatis, vt in nouitate vitæ am-
bulemus. (Exemplum enim de-
dit nobis, vt quemadmodum i-
pse fecit, ita & nos faciamus, vt
ipscmet apud Iohan. testatur,) ^{Ioan. 13.}
quæ sursum sunt quæramus, quæ
sursum sunt sapiamus, inquit
idem Paulus, non quæ super ter- ^{Colos. 3.}
ram. Ita fiet, vt in secunda resur-
rectione ad gloriam immorta-
lem resurgamus. Quam nobis i-

K iiij pse

DE RESVRREC. DOMINI SERMO.

pse CHRISTVS, qui peperit
per resurrectionem suam incly-
tam, cum patre & spiritu sancto
vnus Deus largiri digne-
tur. Amen.



DE

DE EADEM SERMO ALTER.

HAec est dies quam fecit Dominus, exultemus & letemur in ea.

Psal. 117.



ATURA insitum
est hominibus, ut
aduersis quidē suis,
aut amicorum suo-
rum rebus tristen-
tur, secundis verò lætentur. Iure
igitur hodie mutuo nos in ecclē-
sia ad lætitiam exhortamur, idq;
partim nostra ipsorum, partim
eius, qui suo merito charissimus
nobis esse debet, causa. Is est Chri-
stus Iesus dominus noster, & De-
us noster: qui cùm inimici sui es-
semus, & nostra ipsorum culpa
perijsssemus, misertus nostri, na-
turam

K iiij turam

Ioan. 20.

DE EADEM

turam nostram vilem , & multis
 miserijs obnoxiam induere, ac di-
 uinitati suæ copulare dignatus
 est , & per sanguinem suum sibi
 nos ac Deo patri reconciliauit,
 & quæcunq; audiuit à patre suo
 nota fecit nobis, denique è seruis
 diaboli & pœnæ æternæ , filios
 Dei, hoc est fratres & cohæredes
 suos , & regni cœlestis hæredes
 nos effecit. Cū igitur ille sic nos
 dilexerit , tantisq; beneficijs im-
 merentes affecerit , æquum est ,
 vt qua die is superatis crucis, mor-
 tis , & inferni doloribus , ad bea-
 tiorem vitam , & immortalitatē
 gloriæ plenam surrexit , eam
 nos festis gaudijs & lætitia cele-
 bremus, eiisque victori congratu-
 lemur. Non minus autē nostra
 quoque causa lætari debemus, si-
 cut

*Ioan. 15.**Ioan. 1.**Hebr. 2.**Roman. 8.**Actor. 2.**I. Cor. 5.*

In resurre-
etione Chris-
ti cur letan-
dum.

SERMO ALTER.

cut præteritis hisce diebus non
 tam illius, quām nostra causa tri-
 stati sumus. Quascunque enim
 ille molestias, quæcunque tor-
 menta subiit, crucem denique &
 mortem acerbissimam, quæ nu-
 per mœstis & lugubribus cere-
 monijs publicè repræsentauim⁹,
 volens lubensq; subiit, non si-
 ne summa sua gloria. Nam im-
 possibile erat eum ab inferno te-
 neri, & propterea exaltauit eum
 Deus, & dedit ei nomen, quod est
 supra omne nomen, vt ait D. Pau-
 lus ad Philip. 2. Non igitur eius,
 sed nostra ipsorum causa volun-
 tarium illum mœrorem suscipi-
 mus, deplorantes peccata nostra,
 quibus cum ad subeunda illa ad-
 egimus, reputantesq; nobiscum,
 quod ne nunc quidem post tan-

*In passione
cur tristans
dum.*

Aector. 2.

K v ta

D E P A D E M

ta illa beneficia , pari amore ipsi respondemus. Sic nunc vicissim lætamur, nō quòd ipsi magnum & insperatum aliquod bonum obtigerit , sed quòd nobis per ipsum. Nobis enim ille , hoc est propter iustificationē nostram, resurrexit , vt inquit D. Paulus. Vnde & Psaltes ipse supramemorato loco causam hanc lætitię nō prætermisit : Quia hæc est , inquit, dies, quam fecit Dominus. Non quasi hanc diem vel solam, vel præ ceteris Deus fecerit & creauerit : Verum quòd hac die singularibus & eximijs beneficijs nos affecerit. Bonitatē enim & singularem Dei misericordiam erga nos admiratur , & prædicat in eo psalmo Dauid , cui **CHRISTVS** per suam resurrectio-

Romanorum 4.

SERMO ALTER.

rectionem quasi extremam manum imposuit. Vnde nec alia fere eius erga nos beneficia commemorat, quam quae ad resurrectionem eius peculiariter pertinent. Impulsus, inquit, eversus sum, ut caderem, & dominus suscepit me, & factus est mihi in salutem. Et mox: Dextera domini fecit virtutem, dextera domini exaltauit me, dextera domini fecit virtutem. Non moriar sed viuam. Et rursus: Lapidem quem reprobauerunt edificantes hic factus est in caput anguli. Quae omnia per Christi resurrectionem completa & absoluta sunt. Merito igitur exultare hac die laetarique debemus. Eaq;
laetitia splendidiori ornatu tem-
plorum, iucundo cantu, pro-
cessio-

Ceremonia
debene lessia
tiam nos
stram dereo

DE EADEM

*Surrectione
Christi tes-
tari.*

Marc. 16.

cessionibus, & vexillis triumphalibus, & alijs solennibus ceremonijs, itemque cultiori vestitu, ciborumque genere & apparatu nobis repræsentatur, vt nihil se se oculis, nihil auribus, nihil ceteris sensibus offerat, quod nos lætitiae & gratitudinis erga Christum non admoneat: Quam lætitiam tanto vberiore hodie mulieres angelo nuntiante hauserunt, quanto magis morte Christi, & quod corpus eius in sepulchro non inuenerunt, consternatae erant: quemadmodum in missa modo ex euangelio Marci recitatum est. Quod dum vernacula lingua vobis recito, attentis & religiosis animis auscultate. *In illo tempore. &c.* Resurrectionis Christi historiam atque testimonia

S E R M O A L T E R .

nia sæpenumero audistis fratres
charissimi, & audietis spero sub-
sequentibus hisce diebus, atque
vtinam diu sospites & reueren-
ter audiatis & piè credatis. Ego
verò in hoc sermone duo vobis
breuiter exponam: Nempe, quid
per Christi resurrectionem con-
secuti simus: & quomodo eius re-
surrectionis memoriā obire de-
beamus. Ut autē cognoscamus, *Quid per
Christi resur
rectionē cona
secuti simus.*
quid consecuti simus, operæpre-
cium est generis humani condi-
tionem à prima usque origine re-
petere. Deus cùm ab initio creas = *Genes. L*
set hominem ad imaginem & si-
militudinem sui, & sapientia ce-
terisque animi & corporis præ-
claris dotibus ornatum, inferio-
ri huic mundo quasi curatorem
atq; dominum præfecisset, & in
para-

paradiso deliciarum omni felicitate cumulatum collocasset, præceptum ei dedit vnicum, nec factu difficile, cui si is paruisset, æuo sempiterno beatus futurus erat. Sin id contempsisset, morte moreretur. Quod sane accidit.

*Per peccatum
mors in mundu-
du intravit.* Cùm enim de arboris vetitæ fructu is gustasset, non modo sese, verum etiam posteritatem suam omnem morti obnoxiam reddidit. Morti autē tam animę, quam *Mors duplex.* corporis. Habet enim utrumq; & vitam & mortem suam. Vita corporis anima est, animæ verò vita Deus. Ita cōtrà mors corporis nihil est aliud, quam separatio animę à corpore. Animę verò mors, diuinæ gratię ab anima sciunctio est. Quanto autē anima præstantior est corpore, tanto illius mors gra-

SERMO ALTER.

grauior, quam huius. Atque haec
quidem, corporis inquam mors,
ad tempus dilata, semel in vnum
quenq; vim suā exerit, illa altera
ē vestigio peccatū subsecuta, ho-
minē Dei refugam reddidit, men-
tis eius aciem hebetauit, imo ve-
rō excæcauit, voluntatem in de-
teriora procliuē fecit, appetitus
cōtra rationem erexit, sensus de-
bilitauit, corpus innumeris mor-
bis, doloribus, & ęrumnis obno-
xiūm reddidit, deniq; totū homi-
nē ab alienatū à Deo, tē terrimo-
rū dæmonū potestati tradidit, &
infinitis cruciatib⁹ & supplicijs
addixit, q̄ in hoc quidē sēculo in-
choarētur, in futuro verò aucta,
nunquā tamen terminarētur, ita
ut omne tēpus hoīs à primo or-
tu nihil nisi qdā lenta mors esset,
sempī-

sempiternusque cruciatus: expeditaque homini vel non nasci penitus, vel quam citissime totum aboleri. Hæc igitur tam grauia tamque acerba, peccatum primo rum parentum nobis inuexit. Neque vero his malis quisquam nos liberare poterat, non patriarcharum pietas, non legis diuinitus datæ opitulatio, non vlla sacrificia aut ceremoniæ, non prophetarum sanctimonia & patientia, non cuiusquam denique vel hominis vel angeli preces aut merita, nisi ille, qui cum Deus esset æternus, mortalis homo factus, mortem nostram, quemadmodum hodie canit ecclesia, moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit, Christus Iesus dominus noster: qui quæcumque bene-

S E R M O A L T E R .

beneficia in nos contulit, quoad
in terris fuit, aliàs inchoauit ea
modo, hodie deinum cuncta ab-
soluit. Frustra enim is carnem si-
bi adiunxit, & in hac miseria
natus esset, frustra circumcisus
fuisset, frustralumen ad reuelationem gentium extitisset, fru-
stra in templo oblatus, frustra
tot miracula operat⁹ fuisset, fru-
stra doctrina salutari nos iniub-
isset, frustra omnes vite humane
ærumnas, & ad extremum ama-
rissimum ignominiosæ mortis
poculum exhausisset, nisi ex mor-
tuis resurrexisset, suamq; de pec-
cato, morte, inferno, ac diabolo
victoriam nobiscum communi-
casset, qua fortem quidem arma-
tum hoc est diabolum, mortis Hebr. 2.
habentem imperium, à quo ca- 1. Tim. 2.
L ptiui

D E E A D E M

Coloſſ. 2.
ptiui detinebamur ad ipsius vo-
luntatē, colligauit, nos verò vasa
eius diripuit, deletoque peccati
chirographo, quod erat contra-
rium nobis, & confractis portis
inferorum, captiuam reduxit ca-
ptiuitatem, distribuit dona ho-
minibus, nempe innocentiam,
iustitiam, sanctificationem, liber-
tatem, agnitionē & charitatem
Dei, protectionem & præsidium
per omnem hāc vitam nostram,
denique spem resurrectionis &
beatæ immortalitatis, & portas

*Christus cor-
pus nostrum
ab ærumnis
non libera-
vit, cur?*
regni cœlestis nobis aperuit. Et
non liberauit quidem ille cor-
pus nostrum à mortis, morbo-
rum, imbecillitatis, & omnis hu-
ius vitæ anxietatum & ærumnar-
um nexu, neque concupiscen-
tias in eo insitas prorsus sustulit,
neque

SERMO ALTER.

neque inferos prorsus euertit:
dæmonumq; vires fregit verius,
quàm subruit. Quid ita? An quia
inuidit nobis? At bonus est, atq;
adeo ipsa bonitas. An quia non
potuit? At omnipotens est. Sed
quoniam expediebat nobis me-
tu in officio contineri, & iugem
habere materiam exercendæ vir-
tutis atque pietatis. Verum con-
tra illa omnia preclarè nos gratia
sua muniuit, vt non modò non
obsint ea nobis, verum etiam plu-
rimum profint, si gratiæ Dei co-
operantes, sapientia, constantia,
patiētia, mansuetudine, iustitia,
modestia, temperantia, benigni-
tate, denique certa in Deum spē
& fiducia ea superare contendam-
us, & superatis ijs luculentio-
res coronas & præmia merea-

L ij mur,

D E E A D E M

*Felicitas nos-
stra.* mur, ac non inertes desidesque
mutarum pecudum in morem
torpeamus. Et noluit autem Christus nos felicitatem nostram hu-
ius vitae bonis atque commodis
temporarijs metiri, sed longe me-
liorem nobis in cœlis præpara-
uit, ubi cum sanctis angelis, atque
adeo secum & cum patre & spiri-
tu sancto beati æuo sempiterno
fruemur: Eiusque vitae spem per
resurrectionem suam nobis con-
firmauit. His ergo tot ac tantis
bonis per Christi resurrectionem
cumulati sumus, omnibus illis,
quæ superius cōmemoraui, ma-
lis liberati. Quam igitur ipsi pro
tantis beneficijs gratiam refere-
mus? Nullam possumus. Nam &
Psal. 15. ille bonorum nostrorum non e-
get, & nos nihil habemus, quod
non

SERMO ALTER.

non ab eo accepimus. Sed festa & ^{1. Cor. 4.} grata memoria ea beneficia pro-
sequamur, exultantes & lætan-
tes hodie, quemadmodum cum
Psalte iubet Ecclesia, & Paul^o in ^{1. Cor. 5.}
hodierna epistola ad Corinthios
scribens hortatur, cùm inquit,
Pascha nostrum immolatus est
Christus, itaque epulemur, seu
rectius festum diem celebremus:
quæ altera pars est sermonis no-
stri. Quomodo verò lætabimur,
& festum diem celebrabimus?
Num festis frondibus atque flo-
ribus parietes paumentaq;
tem-
plorum atque domorum exor-
nantes? num elegantiori & mol-
liori cultu corporis, auro & ar-
gento, gemmis & margaritis ni-
tentest? num suauiori concentu,
organorumque harmonia? num

*Resurrectio-
nis Christi
memoria quo-
modo obeun-
da.*

L iij odo-

DE EADEM

odoribus aerem cōplentes? num
 lautiori apparatu mensarum lu-
^{Indeorum ex gentilium fe-}
 xuq̄ue diffuentes? Iudæorum &
^{ria.} gentilium huiusmodi feriæ sunt:
 quæ tamen consuetudine qua-
 dam & indulgētia apud nos quo-
 que Christianos inualuere. Atq;
 vtinam intra tamen hoc fines
 nos contineremus, & modestè
 his ad excitandos nos ipsos pro-
 ximosq; nostros ad laudem Dei
 & gratiarum actionem, non ad
 lasciuia & libidinem ceteramq;
 nequitiam prouocandam vtere-
 mur. Num igitur comessationi-
 bus & compotationibus, choreis
 atq; tripudijs, alijsq; rebus agen-
 dis, quæ honestè memorari non
 possunt? Huiusmodi verò festos
 dies impuri dæmones excogita-
 runt, & ita se coli olim voluerūt,

^{Dæmonum}
^{serie.}

vt

S E R M O A L T E R .

vt miseros homines sibi addictos,
& in omne gen^o flagitij pietos,
in sempiternum interitum detra-
herent: Quibus abstinere omni-
no debet, qui Deo placere volūt:
Quod etiam D. Paulus suprime-
morato loco non p̄termisit. Epu-
lemur, inquiens, siue festum diē
celebremus, non in fermento ve-
teri, neq; in fermento malitiæ &
nequitia: Vbi per malitiā omne
scelus, quo pximus offenditur,
per nequitiam, flagitiū quo nos
ipſi contaminamus , & à Deo,
qui sanctus est, alienamus, intel-
ligimus. Non hoc igitur modo
nos festū diē hunc celebrabimus,
quo gētes celebrant, q̄ Deū non
norunt, sed in azymis syncerita-
tis & veritatis, vetere fermēto ex-
purgati, & facti noua cōspersio,

Malitia &
nequitia
quid?

L iiii hoc

hoc est, ut alibi planius explicat idem Paulus, Deposito, per pœnitentiam scilicet atque confessionem, secundum pristinam cōuersationem vetere homine, qui corrumpitur secundum desideria erroris renouemur spiritu mentis nostræ, & induamus nōnum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis: deponenteque mendacium, loquamur veritatem vñusquisq; cum proximo suo, quoniam sumus inuicem membra. Irascamur & non peccemus: sol non occidat super irascundiam nostram. Ne demus locum diabolo. Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret operādo manibus suis, quod bonū est, ut habeat, vnde tribuat neces-

SERMO ALTER.

necessitatem patienti. Omnis sermo malus ex ore nostro nō procedat: sed si quis bonus est ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Et ne contristemus spiritum sanctum Dei, in quo signati sumus in die redemptionis. Omnis amaritudo & ira & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à nobis cum omni malitia. Simus autem in inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit nobis. Simus imitato^{Ephes. 5.}res Dei, sicut filij charissimi, & ambulemus in dilectione sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis. Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auari-

L v tia

tia nec nominetur in nobis, sicut
decet sanctos, aut turpitudo aut
stultiloquiū, aut scurrilitas, quæ
ad rem non pertinet: sed magis
gratiarum actio. Sic nos fratres
charissimi cū omnes dies festos,
tum in primis hoc sacratissimum
pascha obire & peragere debem⁹:
quod ego vobis malui Pauli,
quam meis proprijs verbis ex-
ponere. Nos enim quid sumus?
ille hæc à Deo optimo maximo
in tertio cœlo didicit. Et idem ad
Roman. 6. Roman. scribens: An ignoratis,
inquit, fratres, quia quicunque
baptizati sumus in Christo Iesu,
in morte ipsius baptizati sumus.
Conseptuli enim sumus cum il-
lo per baptismum in mortem,
ut quomodo Christus surrexit à
mortuis per gloriam patris, ita &
nos

S E R M O A L T E R .

nos in nouitate vitæ ambulemus. Hic enim cultus Fratres Christo domino gratissimus est, si beneficia eius erga nos iugi meditatione, verbis, cantibus, & sacris ceremonijs deuotè recolentes, ipsum quoad sinit humana fragilitas, imitemur, & quemadmodum ille se se ad humilitatem nostram, carnē & carnis incommoda in se suscipiens, demisit, sic nos vicissim ad eius sublimitatē, non fastu & arrogantia, quemadmodum olim Lucifer, sed puritate & sanctimonia vitæ & pie- tate nos attollamus. Et quemadmodum his diebus mortem Christi imitati, per pœnitentiam peccatum in nobis mortificaui- mus, ita nunc cum eo resurgen- tes nouam vitam instituamus,
vt &

DE EADEM SER. ALTER.

vt & hic pro maximis eius beneficijs erga nos gratiā ipsi vtcumque referanius, & in extrema illa omnium mortuorum resurrectione beati cum eo sempiterno æuo regnemus.

AMEN.



EIVS.

EIVSDEM MARTINI
CROMERI SERMO DE ORA-
TIONE, DOMINICA ROGA-
TIONVM.

SI quid petieritis Patrem in nomine
meo dabit vobis. *Ioan. 16.*



MNE bonum ho- omne bonū
minibus à Deo proà Deo.
uenit. Quemadmo
dum & Iacob. Iacob. I. te-
stis est, verum ho-
mo abusus libero arbitrio, diui-
nitus inter cetera bona dato, per
peccatum plurima sibi mala ad-peccatum
quanta male
homini inue-
sciuit. Inde enim factum est, vt
res creatę, quę potestati eius sub-
iectæ fuerant, infestæ ipsi existen-
rēt. Hinc bestiarum laniatus, ser-
pentium & vermium morsus, &
afflatus, & aspectus etiam lethali-
les:

DE ORATIONE

les : hinc herbæ venenosæ : Hinc
elementa noxia esse cœpere :
Hinc æstus , frigora , venti & au-
ræ exitiabiles : hinc innumerabili-
lia morborum genera : hinc
mors : hinc omnia corporis in-
commoda . Hinc animi quoque
mala , velut cupiditates , timo-
res , anxietates , ignorantia &
obscuratio intellectus , pugna af-
fectuum cum voluntate & ra-
tione . Hinc denique extremum
& causa illorum & omnium a-
liorum malorum ira Dei , quam
mors & damnatio æterna con-
sequebatur . Sed Deus immen-
sæ misericordiæ , misertus hu-
mani generis , misit vnigenitum
filium suum , vt is assumpta hu-
mana natura hominem Deo re-
conciliaret , ex inimico filium
Dei

S E R M O.

Dei faceret , & morte mortem
 vinceret, innocentiam & cogni-
 tionem Dei, vitamque æternam
 amissam ipsi restitueret. Nec ta-
 men incommoda illa , quæ re-
 censui penitus sustulit , sed reli-
 quit , vt nos fragilitatis nostræ
 admonerent, superbiam retun-
 derent , ad Deum reuocarent ,
 & inuitos quodam modo attra-
 herent, quemadmodum sanè vi-
 demus vsu venire , vt in malis &
 aduersis rebus magis ad Deum
 respiciant homines , quam in
 prosperis. Nam si nunc tot ma-
 lis & miserijs circumdati , ta-
 men contra D E V M rebel-
 les ceruices erigimus , quid fie-
 ret, si incommodorum illorum
 prorsus immunes essemus , &
 omni metu liberi ? Ne verò
 aduersa

*Deus cur non
 omnia incom-
 moda sustus
 lit.*

DE ORATIONE

aduersa etiam ad desperationem
& suspicionem implacabilis ira-
cundiæ diuinæ nos adducant, ec-
ce spem nostram cōfirmat Chri-
stus Deus & homo in hoc euau-
gelio, ostendens quo nobis con-
fugiendum sit, si quid nobis de-
sit, promittensq; futurum quod
desiderauerimus. Hic autem con-
siderabimus, quid petamus, à
quo, & quomodo, idque breui-
ter, in his verbis: Si quid petieri-
tis Patrem in nomine meo dabit
vobis.

*Quid peten-
dum.*

Quid autem petendum
sit, plerumque errant homines.
Itaque sæpe mala pro bonis, no-
xia pro salutarib^o petunt, quem-
admodum & Christus ipse ido-
stendit in Apostolis suis, cùm fi-
lijs Zebedæi petentibus, vt vnus
sederet ad dexteram eius, alter ad
sini-

Matth. 20.

sinistram in regno ipsius, respon-
dit, Nescitis, quid petatis. Et Pau- Roman.8.
lus. Nā quid oremus, sicut opor-
tet, nescimus. Petunt s̄æpe homi-
nes diuitias, propter quas in me-
tu & anxietate vitam exigunt, &
insidijs à furibus & prædonibus
appetuntur. Alij liberos, ex qui-
bus angores & infamiam, inter-
dum & mortis accelerationem
habent. Alij ocium & volupta-
tes, quæ ipsis grauium & abomi-
nabilium morborū causam præ-
bent. Alij alia, & quidem inter-
dum cum turpitudine & scelere
coniuncta, Senserunt hoc & gen-
tiles. Itaq; Socrates ethnicus phi-
losophus dicebat, A Deo peten-
dum esse tantum, vt bona nobis
largiretur. Ipsum enim scire, quæ
nobis bona sint. Nos plærunque

M falli

DE ORATIONE

falli & nescire. Sed ne hoc quidē
Christus saluator noster præter-
Matth. 6. misit. Docuit enim discipulos
suos & nos omnes, quid orare de-
*Dominica
orationis vis.* beamus. Cuius orationis, quam-
uis perbreuis, ea vis est, ut nihil in
ea sit omissum, quod optare pre-
terea & petere debeamus. Cùm
enim Deus hominē propter glo-
riam suam creauerit, & animam
corpusq; ei dederit, continet ora-
tio illa, tum ea, quæ ad gloriam
Dei pertinent, tum quæ ad ani-
mum & corpus hominis. Nec est
ulla oratio aut petitio, nec adeo
esse potest, quæ non sub aliquam
huius partem cadat. Vel enim bo-
na precamur, vel mala depreca-
mur: idq; vel nobis ipsis, vel no-
stris. Nam imprecari mala cui-
quam omnino, nobis vetitū est
tum

S E R M O.

tum doctrina Christi, vt Matth.
5. Lucæ 6. tum exemplo, vt Luc.
23. Quin contra diligere iussi su-
mus inimicos, & orare pro ipsis.
Maximè autem pro magistrati-
bus ecclesiasticis iuxta ac profa-
nis orandum est, vt quietam atq;
tranquillam vitā agamus, quem-
ad inodum inquit Paulus, in om-
ni pietate & castitate. Nec solum ^{1. Tim. 2. ..}
hæc, quæ diximus in futurum pe-
tenda, sed etiam de acceptis iam
gratię agendę sunt. Nam qui gra-
tum se ostendit de acceptis, di-
gnum se facit ad plura impetrان-
da. Ob idq; institutæ sunt supli-
cationes hæc publicę, vt & gratias
agamus Deo pro omnibus benc-
ficijs, & pacem, auram bonam,
frugum prouentum, cōcordiam
ordinum, magistratum rectum
M ij regi-
*Pro magistra
tibus oran-
dum.*
*De acceptis
gratia agens
de.*
*Suplicationes
cur insti-
tute.*

DE ORATIONE

regimen ab eo precemur, & his
contraria mala deprecemur. Ne-
*Magistratus
mala propter
peccata.* que enim fortuitu accidere existi-
mandum est, si malos habeamus
magistratus, sed permissu diuino
propter peccata populi, ut testis
est Iob. Si ergo bonos habere vo-
lumus, Deū precemur, & emen-
demus vitam. Quod ad alteram
partem attinet, à quo petere de-
beamus, breuiter: Ab eo, qui dare
potest & vult. Is autem Deus est,
*A quo.
Iacob. 1.* teste Iacobo, qui ait, Omne datū
optimum, & omne donum per-
fectum desursum est descendens
à patre luminū. Inde Dauid quo-
que s̄æpiissime canit, Confitemi-
ni domino quoniam bonus, quo-
niam in s̄æculum misericordia
cius. Quòd velit autem, confir-
mat & spondet nobis Christus
iure-

S E R M O.

iureiurando interposito in Eu-
angelio. Amen amen dico vobis. ^{Ioan. 16.}
Si quid petieritis. &c. Et ante. Si
in me manseritis, & verba mea in
vobis manserint, quodcumq; vo-
lueritis petetis, & fiet vobis. Cùm ^{Deus.}
autem dicimus Deum, intelligi-
mus, patrem, filium, & spiritum
sanctū. Nam hi tres vnum sunt. ^{1. Ioan. 5.}

Hinc alibi etiam dicit Christus, ^{Ioan. 14.}

Si quid petieritis me in nomine
meo, hoc faciam. Et de spiritu
sancto. Ille vos docebit omnia, &
suggeret vobis omnia. Nō quod
quædā det pater, quædam filius,
quædam spiritus sanctus, sed om-
nes pariter omnia. Individua e-
nim sunt opera trinitatis, vt ait ^{Trinitatis o=}
^{pera individua} August. Quia vñus est Deus. Vn-
de & Iacobus: Si quis, inquit, ve- ^{Iacob. 1.}
strum indiget sapientia, postulet

M iij à Deo.

DE ORATIONE

Psal. 120. à Deo. Et Dauid. Leuaui oculos
meos in montes, vnde veniat au-
xilium mihi. Auxilium meum à
domino, qui fecit cœlum & ter-
Montes. ram. Quod dicit in montes, intel-
ligit quamuis eminentiam in re-
bus creatis, siue ea sit ex domina-
tu & potētia, siue è sapientia, siue
ex bonitate & sanctimonia, ita ut
omne genus hominum & ange-
los pariter montiū nomine com-
plectatur. Nulla est enim reuera
creatura, in qua fiduciam nostrā
collocare, & à qua auxilium pe-
tere debeamus. Nā quod ait Pau-
I. Cor. 4. lus: Quid autem habes, quod nō
accepisti? omnibus & hominibus
& angelis, quamuis potentibus,
quamuis sapientibus, quamuis
sanctis cōpetit. Omnes enim acci-
piunt. Solus Deus dat, & quidem
affluen-

*In creaturis
fiducia non
collocanda.*

S E R M O.

affluenter, vt ait Iacobus, & nemi*Iacob. i.*
 niimproperat. Hic dicet aliquis
 ex istis nouatoribus rerum, Ergo*sanctorum*
 sancti inuocandi non sunt. Hoc*inuocatio.*
 recte accipiēdum ac distinguendū est. Non sunt inuocandi,
 quemadmodum Deus, vt dent,
 neque enim possunt, sed vt no-
 biscum petant à D E O , qui so-
 lus dat. Ita antiquitus tenet ec-*Dionysi. Na-*
 clesia catholica, quæ spiritu san-*ZanZ. Augus-*
 to regitur, nec errare potest.*tin. Damas-*
 Non quod impetrare per nos i-
 psi non possimus à Deo, sine in-
 tercessione sanctorum. Imo ne
 suam quidem interpellationem
CHRISTVS necessariam esse
 affirmat in hoc Euangilio, ubi
 dicit. Et non dico vobis, quia e-
 go rogabo Patrem de vobis. Ipse
 enim pater amat vos. Imo si ita
 M iiii volu-

DE ORATIONE

*Deus scit
omnia.*

volumus dicere, Ne nos quidem ipsos petere aliquid opus est à Deo, quasi qui nesciat, quibus indigeamus, aut dare nolit, nisi rogatus. Summa enim sapientia est Deus, ita ut omnia sciat præterita, præsentia, pariter & futura: Summa est bonitas, ita ut bonitatem suam vltro in omnia diffundat. Et quidem si maiora nobis vltro præsttit, nempe quod nos de nihilo creauit, quod mūdum hunc nostra causa cōdidit, quod vitam & alimenta nobis indies suppeditat, quod deniq; filium suum vnigenitum ad liberandū nos ab ēterno interitu misit, præstabit proculdubio & cetera. Sed rogari vult, vt fiduciam & spem nostram totam ad se conuertat, & charitatem prouocet. Nam si nunc

*Deus cur
vult rogari.*

S E R M O.

nunc rogantes eum, & per hoc cognoscentes inopiam & indigentiam nostram, tamen ægrè benevolentiam eius erga nos agnoscimus, & vel meritis nostris, vel fortunæ bona ab eo data, accepta plerumq; ferimus, quid fieret, si vltro non rogantibus nobis, neq; agnoscensibus indigentiam nostram omnia nobis largiretur?

Sanctos autem inuocamus, vt eo
rum exemplo fiduciam nostram
in Deum penitus erigamus, co-
gitantes, qui illis ante vel eadem
vel maiora dederit, nobis quoq;
quæ petimus, daturum esse: & vt
admoneamur, vnam esse eccl-
esiæ, quæ ex viuis & mortuis, cœ-
litibus & mundanis cōstet. Tum
autem quemadmodum per solē,
lunam & stellas, dat nobis Deus

*sanctos eis
inuocamus.*

Ecclesiæ ma-

M v lucem,

DE ORATIONE

lucem, calorem, prouentum her-
barum & frugum, & fructus ar-
borum, quæ tamen per se absque
illis dare potest, ut dedit initio.
Ita per sanctos etiam dare nobis
voluit, quæ per se ipse potuit, ut
se mirabilem in sanctis suis osten-
deret, & ut nos ea re prouocet, ut
quemadmodum illi ipsi chari fa-
cti sunt, itidem nos quoque cha-
ros nos præstare ipsi studeamus.
Vnde in veteri testamento pro-
pter Abraham seruum suum da-
re se bona successoribus eius, &
mala auertere profitetur, ut eos
ad imitandam fidem & pietati-
tem Abrahæ prouocet. Sed de
hoc non est nunc tempus plura
dicere. Accedamus ad tertiam in-
stituti sermonis nostri partem,
eamq; breuiter explicemus, nem
pe

S E R M O.

pe quomodo orādum sit, Quod ^{Quomodo}_{orandum.} quidē duobus verbis docet Chri-
stus, nimirum, in nomine meo.
Quid est autem in nomine Iesu
petere? Iesus salus & saluator est.
Inde in nomine Iesu petere, est ^{In nomine Io-}
ita petere, vt sit cū salute nostra ^{su petere}_{quidē}
& voluntate Dei coniuncta peti-
tio. Hæc est autem voluntas Dei,
inquit Paul⁹, sanctificatio vestra, ^{I.Thes.4.}
vt sancti simus quemadmodum
ipse sanct⁹ est. Et alibi dicit, Chri- ^{1.Cor. 1.}
stū Iesum factū nobis esse à Deo
sapientiam, iustitiā, sanctificatio-
nem, & redēptionem. Itaq; in no-
mine Iesu petemus, si sapiētiam,
iustitiā, sanctificationem, & redē-
ptionem petemus, atq; hæc ipsi
consecutabimur. In nomine Iesu pete-
mus, si primū quæremus regnū
Dei & iustitiā eius quemadmodū
^{ipse}

DE ORATIONE

Math.6. ipse Iesus dicit, Tunc enim proculdubio cetera omnia adijcierunt vobis. Non in nomine Christi petunt, qui petūt eā, quę cum peccato, vel cum incommodo ac malo proximi coniuncta sunt: ut qui petunt, vt prosperentur ipsis furta, latrocinia, libidines, vel vt quis moriatur, cuius morte aliquid consequantur. Non in nomine Christi petunt, qui bona quidem petunt, sed malo propoſito, vt qui petunt diuitias, non ad sustentationem sui suorum-que, & ad subleuationem pauperum, sed vt in delitijs & voluptatibus insūmant, & qui honores & magistratus petunt, non vt rempubl. iuuent ac defendant, sed vt liberius viuāt & honorentur ab alijs, & formidini sint multis.

S E R M O.

tis. Et ideo tales non impetrant,
quæ petunt. Quod etiam Iacob^o
testatur inquiens, Petitis, & non ^{Iacob. 4.} accipitis, eo quod male petatis, vt
in concupiscentijs vestris insu-
matis. Quod si quando impetrat,
in suam ipsorum perniciem im-
petrant. Non in nomine Iesu pe-
tunt, qui quamuis res bonas, &
bono proposito petunt, sed ta-
men impurè, & in peccatis: vt
qui irascuntur proximo. Inde in-
quit Christus. Si offers munus ^{Matth. 5.}
tuum ad altare &c. vade reconciliare prius fratri tuo: vt qui in for-
nicatione & adulterio viuunt.
Hinc inquit Chrys. homilia qua-
dam. Dictum est, valere iusti de-
precationem, sed ijs, qui suam
addant operam, hoc est, pœnitен-
tia vitæque moribus adiuuent,
pro

DE ORATIONE

pro quibus funditur. Inde & Deus
Hierec. 15. inquit per Hieremiam prophetam. Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Hoc nobis etiam metuendum est, nisi vita emendauerimus. Inde & Christus ait, Si in me manseritis. &c. Non in nomine Iesu petunt, qui se segregant ab unitate ecclesiæ per noua dogmata, vel quod communem cum ecclesia orationem aspernantur. Pacem enim nobis reliquit Christus, & à Deo patre, de mundo discedens petiuit, ut unum simus inter nos, sicut ipse cum patre unum est. Vnde Paulus ait, Leuat̄es puras manus sine ira & disceptatione. Non in nomine Iesu petunt, qui fiduciā nō in gratia Dei & misericordia, sed in bonis

Timoth. 2.

S E R M O.

nis operibus & meritis suis collo-
cant. Quanq̄ enim cum eleemo- Tobi. 12.
syna & ieiunio bona est oratio, vt
ait angelus ad Thobiā, & ad Cor-
nelium in Actis Apost. cōiungit Act. 10.
orationē cū eleemosyna inquiēs.
Oratiōes tuę & eleemosynę tuę
ascenderūt in memoriam in con-
spectu Dei. Tamen ita sentire de-
bemus, nihil nobis ppter meri-
ta nostra debere Deū, sed ppter
gratuitam bonitatē & pollicita-
tionem suā. Vnde est q̄ in ecclesia
omnes orationes cōcluduntur p
Christū dominum nostrū. Non
in noīe Iesu petit, qui res exter-
nas simpliciter petit, non cōmit-
tens Dei sapiētię, si sint cū salute
cius. Inde & Christ⁹ ipse cūm pe-
teret à Deo patre, vt transferret
calicē passionis ab ipso, addidit,
Verum-

DE ORATIONE

Luc. 22.

Verumtamen non mea, sed tua
voluntas fiat. Hoc Christo dicere
necessæ non erat, qui Deus erat.
Sed dixit propter doctrinam no-

*Non desperā-
dum si non
statim exau-
diatur.*

stram. Quod si non statim nobis
dat Deus quæ petimus, non est
desperandum, neq; desistendum
ab oratione. Sæpe enim differt
Deus, quæ daturus est, vt pericli-
tetur fidem, constantiam, & pati-
entiam nostram. Interdum tamē
etiam non dat, quamuis bonis &
sanctis hominibus, & quamuis
iusta potentibus, quemadmodū
Paulus de se scribit: Datus est mi-
hi stimulus carnis angelus sata-
næ, qui me colaphizet, propter
quod ter dominum rogaui, vt
discederet à me. Et dixit mihi:
Sufficit tibi gratia mea. Nam vir-
tus in infirmitate perficitur. Nō
dedit

2. Cor. 12.

S E R M O.

dedit ei Deus, quod petebat, sed
dedit pro eo quod melius erat.
Nam diligētibus Deum, ut idem ^{Roman. 8.}
ait, omnia cooperantur in bo-
num. Inde est, quòd permittit <sup>Cur permito
tit Deus pios
aduersis exer
ceri.</sup>
Deus homines pios & iustos ad-
uersis rebus exerceri & tentari, &
interdū ignominiosa morte de
medio tolli. Non quòd non exau-
diat eos, sed quòd probet, & sup-
peditet materiam exercendæ vir-
tuti, ut magis eos in vita futura,
ad quam toto desiderio ferri de-
bemus, remuneretur. Propterea
nemo vestrum in aduersis debet
despondere animum, quasi Deo
curæ nō sit, imo gaudeat potius.
Quem enim diligit Deus, corri- ^{Proverb. 3.}
pit. Vnde & Iacobus inquit. Om- ^{Iacob. 1.}
ne gaudium existimare fratres
mei, cùm in tentationes varias in
N cideri-

D E O R A T I O N E

cideritis, scientes quòd probatio
fidei vestræ patiētiam operatur.
Et addit:vt sitis,inquit,integri &
perfecti,hoc est,vt toti de Deo
depēdeamus,& neglecta hac mi-
sera vita,ad futuram spectemus.

Verum hæc vt melius explicen-
tur, longius tempus requirunt.
Sed dicet quispiam, Non est mul-
tum nec diu orandū, nam Chri-

Matt. 6.

stus præcepit nobis, Orantes ne
multum loquamur, sicut ethni-
ci faciunt. Sed non sustulit Chri-
stus ijs verbis iugem & prolixam
orationem. Nam & ipse factus in
agonia prolixius orauit: & lauda-
tur Anna vidua ab eodem Luca,
quòd non discedebat de templo,
ieiunijs & obsecrationibus ser-
uiens nocte ac die. Et Paulus. Sine
intermissione orate. & Lucas de
Chri-

Luke 1.

1. Thess. 5.

S E R M O.

Christo, Dicebat autem & para-^{Luc. 18.}
 bolam ad illos, quoniam oportet semper orare, & non deficere.
 Sed non vult nos multum loqui
 Christus orando, hoc est, nō vult
 ut orantes verba sine intellectu
 ac deuotione multiplicemus, &
 putemus quòd propter multilo-
 quiū nostrum exaudiamur, quē-
 admodum ipsemet Christus in-
 terpretatur. Semper autem ora-
 re iubet, nō quòd nunquam ces-
 sare debeat homo ab oratione,
 quod fieri non potest: sed quod
 vita pīj hominis vniuersa, quo-
 dammodo oratio est, cùm om-
 nia is, siue manducat, siue bibit,
 seu quid aliud facit, in gloriā Dei
 facit. Potest enim homo semper
 de Deo cogitare, & quicquid ope-
 ris instituit, in gloriam Dei insti-

N ij tuere,

DE ORATIONE

tuere, quod ipsi pro iugi oratione reputabitur. Sunt autem stata tempora atque loca orationis instituta antiquitus iam inde ab initio nascentis fidei Christianæ & ab Apostolis, ut omnes uno ore & una voce glorificant Deum, & petant ab eo, quæ in commune prosint. Nihil enim peculiariter singuli nobis petimus, secundum doctrinam Christi, sed in commune omnibus. Neque enim dicimus, pater mihi: panem meum da mihi: dimitte mihi: & ne me inducas: sed noster, nostrum, nobis, nos, ut in oratione etiam concordia & charitatis inter nos mutuæ, ad quam nos Christus ubique adhortatur, admoneamus. Quāuis enim differamus genere, honore, opibus, & alijs multis rebus,

bus, tamen vnum sumus in Christo, & sumus in uicem membra sub uno capite, quemadmodum Paulus inquit. Nec in corpore ^{1. Cor. 12.} vna est membrorum omnium dignitas, sed alia alijs honoratiora, aut contra cōtemptibilia sunt. Nec vlla tamen dissensio est inter ea, sed adiuuant se mutuo. Nā & caput pedibus prospicit, vt tegantur, vt ornentur, vt ne offendant, & pedes eunt ad comparandum capiti tegumentum & alimentum. Omnium ignobilissimus et ignauissimus videtur esse venter, et tamen ei omnia membra ministrant, et curam eius habent. Nec tamen etiam ille ociosus est, quin is distribuendo in cetera membra alimentum, vires

N iij quoq;

D E O R A T I O N E

quoque eis latenter suppeditat.
Ita debet esse in corpore Christi
mystico, quod sumus nos. Sunt
honoratores inter nos quidam.
Sunt alij contemptiores. Illis nō
debemus inuidere, hos nō asper-
nari, sed adiuuare omni ratione.
Videntur etiam nonnulli ociosi
aliorum victum defraudare, sed
perferre eos oportet, præsertim
si non sumus in magistratu, nec
nobis ea cura mādata est. In sum-
ma omnes sicut nos ipsos dilige-
re, pro omnibus orare debemus.
Ita facile quæ petemus impetra-
bimus, quemadmodum Chri-
stus ipse nobis sanctè promisit &
hic, & Matth. 18. vbi dicit, Si duo
ex vobis consenserint super ter-
ram de omni re, quamcunque
petie-

S E R M O.

petierint, fiet illis à patre meo.
Cui cum eo ipso filio, & spiritu
sancto omnis honor, decus
& imperium, nunc &
in saecula sae-
culorum.

A M E N.

N iiiij EIVS-

EIVSDEM MARTINI
CROMERI DE SPLENDIDIS-
SIMO CHRISTI IESV TRIVM-
pho carmen iuuenile.

Christe salus mundi, rerum moderator & au-
thor,
Quo sine mens friget cœcis adoperta tenebris,
Du facilem cursum, cœptis felicibus adsis,
*Nam tua facta cano, celebrémque ex hōste trium-
phum.*

Iam scelerata cohors trucibus faciata benigni
Supplicijs Christi, & sacro polluta cruento,
Seruatore suo crudeli morte perenipto,
Mutanda aeterno peragebat gaudia luctu.
Sed tamen occisi vitæ sibi consciæ regis,
Illijs ad tumulum positis custodibus excors
Excubias seruat, cœli terra que potentem
Ingenti clausum vetituras surgere mole.

Nox erat, & cœlo radiabant fusca sereno
Sidera, & exigua, pleno licet orbe, coruscans
Luce, poli medium nocturna Diana tenebat.
Arua, homines, volucres, animantia cuncta silebāt,
Mœsta sui indignaque & acerba morte parentis.
Refluxus tenuere vagos tunc & quora mœsta,
Squalebant elementa suum lugentia regem,
Inque Chaos priscum commixta redire parabant.

Cùm subito placidus roseo fulgore coruscans
Extulit è tenebris faciem sol aureus almam,
Sol, qui sidereis cursum lumenque ministrat
Ignibus, et mentes superumq; hominumq; benigno
Lumine collustrat, vitaque & tempora donat.
Qui noua fert misericordia munera vita,
Victor adest Erebi, deuicta morte triumphans,
Latitiamque ferens vultu, quo cuncta serenat.

Agmine quem leto superum comitata ceterua
Spirituum, nigras niueo fulgore tenebras
Illustrat, placideque canens concentibus auras
Nectaris mulcet, quos non Rhodopeius Orpheus,
Nec Thamyras, nec saxa mouens testudine blanda
Fingeret Amphion, cithara nec clarus Apollo,
Non Heliconiades doctae cantare sorores,
Ut libet adsciscant Veneres Charitásque decoras.

Ac veluti (si fas paruis componere magna)
Suauis onæ liquidum remigantes acra pennis
Cantillat volucres, resonat nemus omne Camœnus,
Cùm ver intepuit solis fulgore benigno:
Sic illi plaudunt: sic victorémque salutant.

Salve magne parens rerum, lux, vita, salusque,
Qui regis astra, tuo nutu qui concutis orbem.
Nate patris summis, cuius de lumine cuncti
Accipimus lumen, cuius, quicquid sumus, almo
Numine consilioque sumus, qui victor ab Orco
Gratus ades, casus hominum miseratus acerbos.

*Gratus ades, per quem nobis reparata superbi est
Luciferi iactura, noui adiunctique sodales.*

*Accipere regna patris, roseo tibi parta cruento:
Si felix, faueasque choris rex optimie nostris.*

*Pone subit tetrica erupta è faucibus Orci
Magna hominum, vita donata, caterua piorum,
Præda diu Stygij vinclis detenta tyranni,
Suppliciumque luens culpa miseranda paterna,
Victorique canit citharis epinicia plenis.*

*Mox alia est rerum facies, iam clara coruscat
Cynthia, iam fulgent hilari vaga sidera flamma,
Sol properat celeri auroram præuertere cursu,
Aer, aquæ pariter gaudent, ignisque, solumque,
Mitibus ethra micat flammis, tonitruque remugit
Innocuo, & Zephyrus respirat mollibus aer,
Roreque pergrato squalentes irrigat agros.
Itque redit que hilarum placidis anfractibus aquor.
Flumina decurrunt leni delata susurro.*

*Latet remit tellus, mugit, patefactaque fundit
Fœcundo è gremio vario distincta colore
Gramina, multiplicèisque herbas, florumque nitore
Purpureum, & suaves affatim effundit odores.
Cernere erat volucres cœli per aperta volantes
Tempore non solito, & dulci modulante magna
Gaudia testantes, pecudèisque virentibus aruis
Ludentes, minime memores somnique cibique.
Quin homines etiam, querunt non obruta mansit*

Mens

Mens vitis, dictu mirum, noua pectore in vno
Quanquam ignota, tamen senserunt gaudia leti.

Qualia cum vincit, fatus quibus instat acerbum,
Seruantur subito, libertatemque resumunt,
Gaudia mutato peragunt merore secundis.

O nox alma, die longeque illustrior omni,
O nox latifica, o Pario signanda lapillo,
O nox solenni cultu celebranda, perennem
Qua misericordiam mortalibus atque salutem
Restituit victor, donans ingentia dona,
Ipse sator mundi, princeps, hominumque redemptor.

Quem nos latificis celebremus vocibus omnes
Christicola, harmonico ferientes sidera cantu,
Spargamus flores, Pancheaque dona seramus.
Thura demus, celebres tollamus in astra triumphos,
Oscula figamus pedibus clementis Iesu,
Hisque salutemus vita lucisque parentem.

Salve stelliferi sapiens regnator Olympi,
Conditor astrorum, regum Rex maxime salve.
Imperium cuius senserunt infera regna,
Salve cunctipotens, salve deuictor Auerni,
Salve praesidum mundi pereuntis, & una
Spesque salusque hominum, salve mihiissime Iesu.
Tu lux cuncta tuo illustrans splendore corusco.
Tu tu persigui miseris mortalibus vnum.
Tu mortem, atque Stygis domuisti immitia regna.
Tu generi humano vitam regnumque dedisti.

Tu

Tu nos iustificas scelerum putore fugato.
Tu patris ætherei fregisti irāmque mināsque.
Tu miseros Erebi seruos, quos culpa parentum
Primorum exitio dederat, lethoque perenni,
Carne hominis sumpta cœlestis pignora patris,
Municipesque poli fecisti sanguine sacro.

Euge potens vicit, superato Dite triumphans,
Lætitia mentes hominum perfunde benignus,
Mentibus ut letis epinicia lata canamus,
Nósque è pestiferis vitiorum attolle sepulchris,
Nam sine te fætemus odore cadauera tetro.
Vincere da mundum, carnemq; & damonas atros,
Qui nos mille dolis iustructi, & mille nocendi
Artibus affectant socios adiungere pœna.
Ut tibi perpetuo lati, vitaque fruentes
Illustrem ætherea celebremus in arce triumphum.

A M E N.





